EXERCITATIONIS GRAMMATICAE SPECIMINA, EDIDERUNT SEMINARII...

Bonn Univ

Digitized by Google

600096284Z

Digitized by Google

EXERCITATIONIS GRAMMATICAE SPECIMINA

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM BONNENSIS

SODALES

44.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

BONNAE

APVD A. MARCVM

MDCCCLXXXI

305 e 86.

Digitized by Google

EXERCITATIONIS GRAMMATICAE
SPECIMINA

FRANCISCO BVECHELERO

DOCTORI MAGISTROQVE

BENEMERENTISSIMO

SEMINARII PHILOLOGORVM BONNENSIS

SODALES

DOCTORIS NOMEN MVNVSQVE

ANTE HAEC QVINQVE LVSTRA CONLATVM

GRATVLATVRI

D · D · L · M

A · D · III · ID · MART · A · CIƆIƆCCCLXXXI

Digitized by Google

BONNAE TYPIS EXPRESSIT CAROLVS GEORGI VNIV. TYP.

Digitized by Google

GRAMMATICAE DOCTOR LVSTRIS NVNC QVINQVE PROBATE

VOTA FACIT PRO TE FIDA CATERVA TVA

GRATA VTINAM HAEC TIBI SINT STVDII QVAE PRIMA SACRAMVS

PIGNORA NON PRETIO SED PIETATE TAMEN

FRIDERICVS MARX
PETRVS SONNENBVRG
HENRICVS WOLF
EDVARDVS ANSPACH
PAVLVS WOLTERS
GVILELMVS LARFELD
HERMANNVS HOEFER
FRIDERICVS KOEPP
FERDINANDVS DVEMMLER
FRIDERICVS MARCKS
ARTHVR FREDERKING

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES IN LVCILIVM ET LVCRETIVM POETAS

SCRIPSIT

FRIDERICVS MARX

I.

Omnium, opinor, versuum Lucilianorum corruptissimi exstant apud Ciceronem in altero de finibus cap. 8, 23, ubi haec leguntur verba secundum codicem Palatinum:

'Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant . . . . mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantis cruditatem, quibus vinum defusum e pleno sit, hirsizon ut ait Lucilius, cui nihil dum sit vis et sacculus abstulerit' e. q. s. (Lucil. fragm. ed. Lachm. v. 996; ed. L. Mueller p. 77).

Haec verba Lucilii nondum emendata editores plerique repudiatis coniecturis ita posuere, ut in codicibus corrupta praebentur: ea quae Scaligero duce Lucianus Mueller eruere sibi visus est quaeque alii viri docti conati sunt refutarunt docte M. Haupt opusc. I p. 119, G. Loewe in prodromo gloss. p. 328, Madvig ad Cic. de fin. [3] p. 182.

Falso enim Scaliger divellit [1]) vocem *hirsizon* cui tamen

[1]) Contra falso, quod data occasione animadvertam, non divellere editores in titulo Olympiaco de Damocrate Tenedio, quem primus A. Kirchhoff *Archaeol. Zeit.* 1876 p. 183, dein P. Cauer delect. inscr. 116, postremo C. Daniel in dissertatione de dialecto Eliaca Halis 1880

Digitized by Google

nihil subesse possit me iudice, nisi Graecum illud χρυσίζον, quod codex Erlangensis tot locis genuinae lectionis servator recte praebet litteris *hrysizon*[1]); idem invenitur in codice Vaticano B, Palatini scripturae propior est codicis Spirensis lectio *hyrsizon*. Deinde apprime vox illa, quam restitui coniungitur cum verbis Lucilii, etiamsi aureum vini nitorem saepius invenio laudatum a poetis nostri saeculi, quam ab antiquis: de vini Italici quodam genere dilectissimo[2]) Athenaeus dicit I p. 27^{b}: ὁ Σπωλητῖνος οἶνος καὶ πινόμενος ἡδὺς καὶ τῷ χρώματι χρυσίζει, deinde aureum nitorem vini appellat Plin. n. h. 37, 129[3]): vox denique ipsa plerumque occurrit in formam participii composita, qua de re vide I. S. Bernard ad Theoph. Nonn. p. 189 et lexica.

Neque de tota forma enuntiati adhuc recte iudicatum est. Atque primum quidem tales gumias, quales Cicero fingit, bibere vinum sacco castratum nemo negabit, qui Plutarchi quaest. conviv. VI 7, 5[4]) legerit: maxime enim in honore erat vinum

p. 54 tractaverunt, in v. 32 vocem ἐγχάλκωμα: scribendum: τὸ δὲ ψάφισμα . . . . γραφὲν ἐγ χάλκωμα, ἀνατεθῇ. Conferas Caueri l. l. 29, 15 γράψοντας εἰς χάλκωμα ἀναθέμεν, 28, 11. Nam ἐγ (ἐν) = εἰς, ut in v. eodem ἀνατεθῇ ἐν τὸ ἱαρὸν, in v. 39 τοῖρ ἐμ Μίλητον ἀποστελλομένοιρ.

[1]) Similiter errata ex aliis codicibus protulit 'halips ferrum, here ave, bahatus limfaticus' Hagen, Gradus ad criticen p. 31.

[2]) Martialis XIII 120. XIV 116.

[3]) Plin. l. i.: 'Coeunt quippe in tralucidam crystallum viridis suo modo aer simulque purpura et quidam vini aurei nitor semper extremus.' Conferas porro nomen vini Chrysattici apud Alexandrum Trall. II p. 600 Putschmann., Philoxenum s. v., Plin. n. h. 37, 47.

[4]) Plut. l. s. § 3 ἡ δὲ τοιαύτη κάθαρσις αὐτοῦ (sc. τοῦ οἴνου) πρῶτον μὲν ἐκτέμνει τὰ νεῦρα καὶ τὴν θερμότητα κατασβέννυσιν . . . . ὥσπερ γὰρ τὸ τοὺς ἀλεκτρυόνας ἐκτεμεῖν καὶ τοὺς χοίρους ἁπαλὴν αὐτῶν παρὰ φύσιν τὴν σάρκα ποιοῦντας καὶ θήλειαν οὐχ ὑγιαινόντων ἐστὶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ διεφθαρμένων ὑπὸ λιχνείας· οὕτως . . . . ἐξευνουχίζουσι τὸν ἄκρατον καὶ ἀποθηλύνουσιν οἱ διηθοῦντες κτλ.

Digitized by Google

vetus: quod cum vetustate et faeculentum et nimis fervidum valetudini obesset, liquari solebat atque simul ferocia eius frangi sacco vinario, de quo omnium uberrime disputavit Daremberg ad Oribas. I p. 633 [1]). Quae cum ita essent, Madvigius aliique ad verbum 'abstulerit' adiunxerunt obiectum illud *vis*: falso, nam neque talis verborum ordo ferri potest, et obiectum *nihil* coniungendum esse cum verbo 'abstulerit' apparet ex verbis grammatici illius de dubiis nominibus (Keilii t. V p. 590, 9): 'Saccus generis masculini, ut Varro: vinum, cui nihil sacculus abstulit'. Hunc locum eundem esse atque nostrum et grammaticum in auctoris nomine sicut saepe errasse omnes concedent.

Inde efficitur verba 'cui nihil sacculus abstulerit' aliter esse intellegenda atque adhuc intellexere viri docti: videlicet tale bibunt vinum asoti delicatissimi, quod saccando nihil perdidit saporis aut bonitatis, cui linum nihil praeter faecem et limum detrahere potuit. Firmissimum tale vinum esse debebat, ne mutaretur in vappam, quod plerumque vinis percolatis accidebat, ut antiqui scriptores testantur [2]).

Illa verba cum certa sint, efficitur, ut in litteris 'dum sit vis' alterum subiectum cum voce *sacculus* 'et' vocula coniunctum lateat: nam 'et' monosyllabon recte tradi ideo persuasum mihi habeo, quod numeris versus, qui aperte si quid video dactylicus est, monosyllabon egregie convenit

---

[1]) cf. I. G. Schneider ad Colum. XII 19, 4. Becker Galli [2] III 235 sqq. *Röm. Alterth.* V 1, 344. Hermann, *Griech. Antiquit.* III [3] p. 202. Heindorf ad Horat. sat. II 4, 54.

[2]) Theophrastus de caus. plant. VI 16, 6 ἡ δὲ αὐτὴ αἰτία καὶ τοῦ θᾶττον παρίστασθαι τοὺς ἠθητικοὺς τῶν οἴνων. λεπτότεροι γάρ κτλ.; antea § 5 τῶν δὲ ἄλλων οἱ λεπτοὶ μᾶλλον εὐώδεις καὶ θᾶττον τῶν πιόνων παριστάμενοι καὶ παχέων. Plutarch. quaest. conviv. VI 7, 6 μέγα δὲ τεκμήριον ἡ διαφθορὰ καὶ τὸ μὴ διαμένειν, ἀλλ' ἐξίστασθαι καὶ μαραίνεσθαι καθάπερ ἀπὸ ῥίζης κοπέντα τῆς τρυγός. Hor. sat. II 4, 54.

Digitized by Google

hoc loco positum, polysyllabon non item. Latere autem in illis litteris vocem qua aetas significetur, multa sunt quae moneant: primum quod 'auferre' verbum ad aetatis notionem optime sese adplicat (sic apud Lucr. I 468 [1]) et saepissime): vinum 'cui nil aetas abstulit' eadem ratione dicitur, qua 'senex, cui nil aetas abstulit'; deinde quod nonnunquam, ubi de hominibus luxuriosis agitur, inveteratio vini una cum saccatione appellatur (Plin. n. h. XIX 53 [2]); accedit, quod minus egregia vina in vetustatem diffusa coacescebant propter infirmitatem, egregia durabant multos per annos, cf. Vergil. Georg. II 97—100 Cic. de sen. 18, 65 [3]). Fumo autem vina antiquis solita esse inveterari res notissima est [4]): scribendum igitur censeo *cui nihil fumida vis et sacculus abstulerit.* Fumida vis, quod praestat propter numeros versus, dicitur pro fumi vi, sicut apud Lucretium totiens *flammea vis* II 215 *morbida vis* VI 1150 et passim.

Restat, ut de verbis 'quibus vinum defusum e pleno sit' agam, de quibus haud facile iudicium est. Alii nomen pretiosi vasis e litteris *hirsizon* eruebant verba 'defusum' et 'pleno' bene consociari intellegentes: sed non adest nomen.

---

[1]) Lucret. l. i.: 'Quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt. Inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas.'

[2]) Plin. l. i.: 'Ferendum sane fuerit . . . . inveterari vina saccisque castrari, nec cuiquam adeo longam esse vitam ut non ante se genita potet' e. q. s. Martial. II 40 'Caecuba saccentur quaeque annus coxit Opimi Condantur parco fusca Falerna vitro.'

[3]) Vergil. l. i.: 'Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina, Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus; Argitisque minor cui non certaverit ulla. Aut tantum fluere aut totidem durare per annos'. Cic. l. s. 'ut enim non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit'.

[4]) Becker *Röm. Alterth.* V 2, 68. Accidebat etiam, ut fumo vinum depravaretur, cf. Martial. X 36 'Improba Massiliae quidquid fumaria cogunt. Accipit aetatem quisquis ab igne cadus' e. q. s. Plin. n. h. XIV 68.

Digitized by Google

Alii interpretabantur: quibus vinum largiter suppeditatur: falso, quia *e pleno* nusquam invenimus sic usurpatum[1]); deinde ne apta quidem esset haec significatio: mundi enim et elegantes isti, quos Cicero depingit asotos, parce sine dubio utuntur vino, sed optimo: contra quos in or. in Pison. 66 et 67 castigat[2]), immodice bibunt 'de cupa' sive de dolio haustum (Cic. Brut. 83, 287)[3]); cum vero dicimus 'e pleno vinum defunditur', maxime commonefiunt omnes vini e dolio desumpti, cf. Cic. pro Scauro 19, 42 quem locum perperam interpretatus est Scaliger, quem Madvigius male sequitur[4]). Itaque equidem, quoniam facilius demonstrari posse puto, quomodo 'pleno' vox depravata sit, quam quo factum sit, ut nomen uasis, uelut 'auro', interciderit, non dubito quin dempta p littera scribendum sit: 'quibus vinum defusum e

---

[1]) Vox ipsa defundendi si habet significationem largiter fundendi cum ablativo iungitur, ut ab Hor. epist. I 12, 29. Petron. 5, 22. Sed defundere vocem deprehendimus iunctam cum *e* praepositione apud Senecam Thyest. 1058 'Ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua Defundere ora debui'.

[2]) Et res et verba mirum in modum congruunt cum hoc loco quem tractamus: tamen genus asotorum contrarium et diversum est, quod ibi describit Cicero.

[3]) Plut. quaest. conviv. VI 7, 1 § 2 vini non saccati defensor dicit necesse esse vinum ἀπὸ τοῦ πίθου πίνεσθαι τὴν σύμφυτον ἔχοντα ῥώμην καὶ δύναμιν. cf. Hor. epod. 2, 47.

[4]) Nihil Plut. quaest. conviv. VII 3, 2 de pleno vase vinum conservante ad illum locum Ciceronis. De Sardis enim agitur, quos de Poenis, Phoenicum colonis derivatos dicit Cicero; Phoenicia cum pleno vase comparatur, unde in Carthaginem transfundebatur: ex hac iterum in Sardiniam. Id vero vinum, quod iam in pleno vase (h. e. in dolio) nihili erat, diffusum certo coacescebat: 'quare cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde putatis eam tot transfusionibus coacuisse'. Sardos pravissimos esse demonstrat, non Phoenices (plenam gentem). Vinum diffusum caute tractari deberi ne mutetur veteres saepe testantur: cf. Geopon. VII 6, 2.

Digitized by Google

lino sit χρυσίζον ut ait Lucilius, cui nil fumida vis et sacculus abstulerit'. Sic etiam vox χρυσίζον melius intellegitur: significat splendorem vini purgati defluentis e colo. Simillime Martialis VIII 45, 3

Defluat et lento splendescat turbida lino
Amphora centeno consule facta minor.

Linum, id est saccus Hor. sat. II 4, 54 Martial. XIV 103. 104.

Lucilii hexametros restituere conari audacia est: res ipsa clamat, Ciceronem numeros soluisse, solutos enuntiati sui cursu obruisse: accedunt verba grammatici illius, quae supra posui. Alter versus qui incipit inde a voce 'cui' propemodum integer est. Equidem, si ad Ciceronis verba propius fortasse accessi, quam antea accessere, gaudebo: Lucilii versus doctiores restituant.

Cic. de fin. I 3, 9 Lucilii versus lepidissimos haec verba antecedunt:

'Nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius; quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaevola:' e. q. s.

Verborum structuram, quae traditur, esse durissimam molestissimeque in eodem enuntiato bis verbum omitti contra Tullii leges et usum ita ad hunc locum Madvigius adnotavit, ut hac quidem re explicanda supersedere possimus: idem coniecturas in hunc locum factas recte refutavit [1]).

'Apparet aut verbum excidisse aut aliquid depravatum esse'. Quorum utrumque fieri cum potuerit, hoc potius factum esse quam illud credo ea de causa, quod quomodo verbum, quod magnopere desideratur, interciderit, aegre intellegitur; facillime, quomodo obscuratum et depravatum sit. Neque

[1]) Madvig. ad Cic. de fin.[3] p. 23.

Digitized by Google

enim si verbum quale est *tractat* addiderimus, enuntiatum recte se habebit: primum quod verba 'quem quidem locum' e. q. s. artissime conexa sunt cum antecedentibus, contra salutatio illa Mucii Athenis facta dici minime potest locus a Lucilio tractatus, quod verbum nonnisi in rebus philosophicis aut rhetoricis usurpatur (de fin. I 2, 6 de divin. II 1, 2 et 3 or. 48, 162 et alibi). Ciceronem autem de sola illa salutatione cogitare, non de nimio Graeci sermonis studio ex versibus Lucilii, quos adfert, efficitur. Ne multa: in voce *locum* corrupta latet verbum illud, quod flagitatur, siquidem verba '*quem quidem*' ad '*Albucius*', quam vocem consulto in fine enuntiati antecedentis conlocatam esse patet, referenda sunt. Id verbum est sine dubio 'lusit', depravatum in 'locum', cuius scriptura non multum ab illo abest, '*cum*' vocabulo sequente, quod exeuntes tres litteras antecedentis vocis obruerit. Ipsa vox ludendi egregie quadrat in haec verba Ciceronis: videtur enim Cicero sua ipsius fere verba repetere de orat. III 43, 171 ubi in eadem re tractanda ter verbum illud posuerit: 'In quo lepide soceri mei [id est Q. Mucii Scaevolae] persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius, . . . quae cum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit, . . . verum in me quidem lusit ille, ut solet'. Conferatur deinde ad fam. VII 5, 3 'non illo vetere verbo meo, quod cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti'[1]), de orat. I 12, 50 'haec autem oratio . . . aut nulla sit necesse est aut omnium irrisione ludatur', de fin. II 1, 2 'et illum . . . et ceteros sophistas lusos videmus a Socrate'. Scribemus igitur: 'Nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius: quem quidem lusit cum multa venustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaevola.'

---

[1]) cf. ad Quint. fratr. II 12, 2.

Digitized by Google

II.

Munro in commentario ad Lucret. p. 298 'we need not infer from the rarity of the cognomen that he did not belong to an old family . . . Lucretius therefore may well have belonged to the high patrician gens of the Lucretii Tricipitini, whose glories were chiefly linked with the early history of the commonwealth . . .'.

Lucretii carmina qui perlegerit, C. Memmium sibi finget hominem talem qualis Maecenas postea fuit, pollentem et ingenio et opibus in civitate, cuius favorem et amicitiam poeta inferiore loco ortus sibi parare velit poesi sua[1]). Quod cum ego quoque animadvertissem, adquiescendum esse in eis quae vulgo[2]) credita ex Munroi editione supra posui non censui sperans fore fortasse certiora ut eruerem: neque, opinor, spes me fefellit.

Videlicet tam nobili loco, quo Munro sumit, Lucretius natus esse minime potest. Primum enim hominem nobilem et patricium, cuius gens incluta tot imaginibus et titulis — modo fastos consulares et triumphales consulas — polleret opibus honoribus auctoritate inde a primordiis urbis, tantopere blandiri Memmio, qui e gente plebeia[3]) profectus neque virtute[4]) aut gloria belli valde emineret, neque summos

---

[1]) Lucr. I 140 sqq.

[2]) Mommsen Roem. Gesch. III (ed. 6) 594: *den besten Kreisen der römischen Gesellschaft angehörig* e. q. s.

[3]) Cic. ad Att IV 17, 2: 'Reliqui duo plebeii sic exaequantur ut Domitius valeat amicis . . . . , Memmius Caesaris commendetur militibus' e. q. s.

[4]) Cic. ad Att. I 18, 13. — Cicero eum nonnunquam laudat (ad Quint. fratr. I 2, 16), quod a Pompei parte stabat et Clodium oderat (ad Att. II 12, 2): deinde eum in Caesaris gratiam rediisse constat, cf. Sueton. Caes. 73, Cic. ad Att. IV 15, 7. 'O virum! o civem! Memmium Caesaris omnes opes confirmant'. cf. ad Quint. fratr. III 2, 3. 8, 3.

Digitized by Google

honores gessisset — nam consul omnino non fuit — neque alio modo praeter ceteros auctoritate in republica floreret[1], cogitari plane nequit. Tamen — fac recte Munroum iudicare quod dicit, Lucretium paulo ante praeturam Memmii anno u. 695 haec verba scripsisse (p. 325) — nimiis laudibus effert eum poeta I 26

> Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
> Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.

Nam ea certe quae de studiis eius et de moribus nobis traduntur, hominis exilis et infirmi sunt[2]). Multo magis offendimur vv. 41. sqq.

> Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
> Possumus aequo animo nec Memmi clara propago
> Talibus in rebus communi desse saluti.

Ego, qua de causa Memmius 'inclutus' vel 'clara propago' ab homine patricio alto loco orto eo ipso tempore dictus sit, quo aedilitate infami[3]) functus praeturam peteret, non video.

Dein Lucretium qui leget mirum quantum oblectabitur ardore illo vere sublimi gaudioque illo excelso, quo elatus poeta doctrinam novam profitetur: dolebit, cum consideraverit poetam ad hominem tam mollem et exilem, ingenio tam tenui[4]) praeditum praeclarissimos suos libros misisse, multo

---

[1]) Cic. ad. Quint. fratr. III. 2, 3 'Memmius, quod Caesaris adventu se sperat futurum consulem. Sed mirum in modum iacet', 8, 3 'hic quidem friget'.

[2]) Et copiose et eleganter de C. Memmio actum est *Grenzboten*, ann. 28. sem. 2. vol. II p. 129.

[3]) Cic. ad Att. I 18, 3. Adulterium commisit aedilis cum M. Luculli uxore.

[4]) Cic. Brut. 70, 247 'C. Memmius L. f. perfectus litteris, sed Graecis, fastidiosus sane Latinarum: argutus orator, verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi verum etiam cogitandi laborem'. Catull 28, 5. 10, 12 'Praesertim quibus esset irrumator Praetor non faciens pili cohortem'.

Digitized by Google

magis, si e Ciceronis epistulis intellexerit Memmium non solum non Epicureum esse, sed Epicuri rationem totam deridere (Cic. ad. fam. XIII 1, 4)[1]), Epicureos ipsos qui parietinas illas Epicuri memoria sancitas ab eo peterent, tantum non severe et acriter insectatum esse, ut non nisi per Ciceronem ipsis minime assentientem in philosophia eum aggredi auderent veniam petituri. Nota sunt quae de Areopagitarum illo ὑπομνηματισμῷ in Epicureos Memmii auctoritate facto apud Ciceronem traduntur[2]).

Quae omnia si ponderaveris, concedes non ita hominem nobilem plebei amicitiam petere, ut Lucretius I 136 sqq. 140 sqq.

Sed tua me virtus tamen et sperata voluptas
Suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
Suadet et inducit noctes vigilare serenas e. q. s.

Tum homo potens genere et divitiis non tam demisso animo profatur I 52

Ne mea dona tibi studio disposta fideli
Intellecta prius quam sint contempta relinquas.

Ex his quinque versibus, quibus multi adici possunt[3]), non potest non intellegi poetam esse inferiore loco natum — accedit quod de honoribus et imperiis saepe numero loquitur ut de rebus inanibus et ineptis (III 996. III 75. II 47 sqq. V 1232) laudatque plebeiam vestem (II 36. V 1427) —, petere carminibus suis gratiam Memmii, nondum vero habere eius amicitiam (I 140 s p e r a t a voluptas suavis amicitiae), quam homo nobilis aliter sane atque Lucretius fecit, petere poterat.

---

[1]) Cic. l. s. scribit Memmio: 'Totam hominis vitam rationemque quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc eius contentionem volumus reprehendere'.

[2]) Munro p. 326. cf. Cic. ad fam. XIII 1 ad Att. V 11, 6.

[3]) Lucr. I. 948. 402. III 206. 420.

Digitized by Google

Equidem persuasum mihi habeo, Lucretium poetam neque patricia neque plebeia gente natum esse, sed esse aut ipsum libertum aut liberti filium. Cuius rei gravissimum argumentum habeo cognomen Carum, quod agnomen non est. Neque id cognomen in gente Lucretia amplissima invenitur, neque alii genti Romanae ante imperatorum tempora proprium est [1]). Carus enim omnino cognomen gentis non est, sed nomen servile: cf. C. I. L. I 769 'Carus Hostili' (in tessera consulari), IV 2953 'C. Vivi Itali Prunis Carus S. Ati Attua'. Deinde nonnunquam id nomen invenitur solum positum in vasculis figulum vel pictorem indicans: C. I. L. II 4970, 123 vasculo Sagunti reperto inscriptum est 'Cari'. [II 2954 inscriptio in Hispania item reperta praebet 'Caricus Cari f.' e. q. s.]; in vase cretaceo in Pannonia effosso (C. I. L. III 6010, 50) legitur 'Carus fec.' Adde III 870, ubi in indice Asianorum in Dacia reperto nomen 'Carus' exstat. Porro eum, quem Appianus Hispan. c. 45 in urbe Segida natum ducem Hispanorum commemorat et C. I. G. III 4578 B., postremo Herodis Iudaei catamitum apud Iosephum antiqu. XVII 2, 4 [2]).

Deinde saepius inveniuntur liberti, quibus id nomen est. Clarissimus Neronis libertus Mettius Carus nanus (schol. Iuven. sat. I 33), delator infamis et turpis [3]). Alius C. I. L. V 5921 'Carus Augg. lib.'

---

[1]) Non recte Munro p. 298 profert exemplum C. Licinii C. f. Macri (Cic. ad Quint. fratr. II 4, 1), de quo vide Drumann *G. R.* IV p. 195 adn. 72, ubi explicatur cur cognomen Calvi nomini adiecerit: quod in T. Lucretium Carum cadere non potest.

[2]) Carus etiam nomen equi Circensis est, conferas De Viti Onomast. s. v.; deinde poetae Ovidio aequalis, Germanici filiorum praeceptoris (Ovid. Pont. IV 13, 47): fortasse servum significat C. I. Rh. 1990 Caro Li(ci)ni Cran . . . . Attius.

[3]) Mart. XII 25 Plin. ep. I 5, 3 VII 19, 5. VII 27, 14 Tac. Agric. 45.

Digitized by Google

Deinde non dubito quin C. Avidius Karus in Wilmannsii exemplis inscr. Lat. 242 parentes libertos C. Avidium Gelotem et Avidiam Eutychiam habuerit; porro Flavium Karum et Flaviam Karam Gentiam libertos esse (apud eundem 689) cognominibus evincitur; cf. apud eundem 1712 A. Pomponius A(uli) l(ibertus) G e n t i u s, 2079 C. Iulio Divi Augusti l(iberto) Geloti, 1348 Trebatiae Eutychiae manumiss(ae).

Porro T. Sillius Karus apud Wilm. l. l. 2108 aperte se dicit filium T. Sillii T. liberti et Claudiae T. lib.; porro C. Iulius Carus apud eundem 432 habet parentes libertos (Iuliam Primam et C. Iulium Aug. l. Regillum), avunculum servum (Ingenuum Augustae).

Inde a primo post Christum saeculo exeunte multos Cari cognomine praeditos deprendimus, variis nominibus gentiliciis. Maximam partem milites legoniarii sunt, qui in provinciis nomen lapidibus insculpsere. Sic habemus Iulium Carum[1]) militem legionarium apud Tacitum (histor. I 42), C. I. L. III 1562 Iulium Carum legatum in titulo in Dacia effosso: ex eadem regione tituli C. I. L. III 1153. 1415 prolati ferunt nomen L. Aemilii Cari militis[2]): idem nomen exstat apud Wilm. l. l. 1182 hominem militarem significans; C. I. L. III 3457 in Pannonia Septimium Carum militem legionarium deprendimus, porro l. l. 3382 M. Valerium Karum et 3451 M. Ulpium Carum, in Dalmatia l. l. 6350 Aurelium Carum et 2501 Aelium Carum, C. I. L. II 2750 in Hispania Valerium Carum, Seium Carum apud Cass. Dion. 79, 4, M. Glitium Carum C. I. L. III 633 II 3, 20 in Macedonia alios[3]); adde apud Wilm. l. l. 1186 C. Popilium Carum con-

[1]) Codices a Iulio Cario, falso.

[2]) C. I. Rh. 334 L. Aemilius Carus leg. Aug. 940 T. Agleius. T. f. Carus, miles legion. 688 Cattius Carus. 825.

[3]) Adde C. Canuleium Karum Mommsen. C. I. R. N. 6769, III. In exercitum populi Romani inde a Marii temporibus et servos et

Digitized by Google

sulem Antonino Pio imperatore, (cf. ibid. 1182), postremo M. Aurelium Carum imperatorem anno p. Ch. 282, Narbone natum teste Eutropio IX 18.

Eis quae modo exposui evinci existimo, Lucretium poetam libertum aut liberti filium fuisse; quod si recte demonstravi, optime ex ea condicione quae inter Memmium et Lucretium intercedebat omnia illa, quae supra ex eius carminibus nimiae adulationis exempla attuli intelleguntur. Scilicet poeta petebat amicitiam viri potentioris et divitis humiliore loco natus: aliter enim vv. I 141 intellegi nequeunt. Adde, quod Cicero tam contemptim de carminibus Lucretii loquitur, ipsum nusquam appellat: hominem nobilem philosophiae studiosum inter Catium Amafanium Rabirium occasione oblata silentio praeterire vix poterat [1]).

Ad tempus quo Lucretius carmina sua conscripserit definiendum moneo [2]), certo libros inde a quarto ineunte aliquantum post a. u. 685, Lucretii aetatis annum trigesimum compositos esse. Id efficitur vv. IV 73 sqq., ubi lintea (v. 82) vela theatris intenta commemorantur, *quae primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret* (Plin. n. h. XIX 23 cf. Valer. Max. II 4, 6), quod factum esse Q. Metello Q. Hortensio coss. a. u. 685 ex Livio (in Cassiodorii chronico

---

libertos insertos esse constat. Deinde animum advertas, quomodo in his inscriptionibus eadem fere temporum successione Iulios Flavios Vlpios Aelios Aurelios deprendamus, qua imperatores ex illis gentibus orti principatum tenebant.

[1]) Lucretiae gentis libertos nonnullos vide C. I. L. I 1063; cf. 566.

[2]) Nam ea, quae Munro p. 325 profert, certa non sunt, sed ut ipse fatetur, ipsius opinio.

Digitized by Google

a. u. 685) cognoscitur [1]) (cf. Cic. Verr. IV 69 et 82). Sed quoniam non est cur poetam longiorem pausam scribendi fecisse ante librum quartum fingamus, immo quoniam apud Hieronymum [2]) legimus Lucretium certo vitae suae tempore carmina sua elaborasse, omnes sex libros post annum 685 confectos esse puto: nam quartum librum aliquanto post illum annum natum esse inde apparet, quod Lucretius de velis illis ut de re nota et trita loquitur [3]). Accedit quod in libro altero v. 416 [4]) sparsiones croco diluto ad minuendum fervorem in theatro factae memorantur; quod quoniam genus exquisitius luxuriae est, item ad minuendum fervorem solis excogitatum [5]), quo factum est ut saepe sparsiones et vela una memorentur [6]), verisimile non est iam ante Catulum, qui omnino primus eiusmodi luxuriae auctor perhibetur, sparsiones factas esse: cf. Valer. Max. l. l.:

'Religionem ludorum crescentibus opibus secuta lautitia est. Eius instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam,

---

[1]) Conf. Livium ed. M. Hertz vol. IV p. 229. Marq.-Momms. *Röm. Alterth.* VI 513 non recte annus 676 dicitur, quo templum Iovis a Catulo dedicatum sit.

[2]) Ad a Abr. 1923 'T. Lucretius poeta nascitur. Postea amatorio poculo in furorem versus cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset' e. q. s.

[3]) Lucr. IV 73 'Et volgo faciunt id lutea russaque vela Et ferrugina, cum magnis intenta theatris Per malos volgata trabesque trementia flutant' e. q. s. Munro commentarii p. 520 male interpretatur Plinium.

[4]) Lucr. II 416 'Et cum scaena croco Cilici perfusa recens est'.

[5]) Marq.-Momms. *Röm. Alt.* VI 513. Locis ibi congestis adde Apul. metam. X 255 'Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta ... Iamque tota suave fragrante cavea' e. q. s.

[6]) Ovid. a. a. I 103 'Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.' C. I. L. IV 1177—1204.

Digitized by Google

primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. Cn. Pompeius ante omnes aquae per semitas decursu aestivum minuit fervorem'.

Sextum librum aliquantum post a. 695, quadragesimum aetatis annum scribere poetam coepisse, inde sequitur, quod carbasina vela, quae v. 109 sqq. theatro intenta ut res notissima a Lucretio memorantur, '*primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Appollinaribus ludis*' (Plin. n. h. XIX 23), quibus praetorem urbanum praefuisse constat[1]). Lentulus praetor fuit a. 695 una cum C. Memmio, Nigidio, Domitio (Cic. ad Quint. fr. I 2, 16). Lucretium denique morte subita ab opere suo expoliendo et finiendo abreptum esse, quod viri docti recte contenderunt, hac re magnopere confirmatur.

---

[1]) Cic. Brut. 20, 78 Livius XXV 12.

Digitized by Google

DE VERSVVM PLAVTI ANAPAESTICORVM PROSODIA

SCRIPSIT

P. E. SONNENBVRG

Inter artem Plautinam Terentianamque cum alia multa intercedunt, tum haud scio an gravius sit quam obiter iudicanti videatur, quod versibus anapaesticis prorsus abstinuit Terentius. Illa enim res non minima habenda videtur causa, cur multo minus priscae Latinitatis leges rationesque ex Afri poetae fabulis perspiciamus quam e Sarsinatis. Nam Latina lingua quia antiquissimis illis temporibus abundabat syllabis productis, creticos versus vel bacchiacos facillime fingere poterant poetae, in anapaestis componendis magnopere eos laborare necesse erat. Quare fieri non potuit, quin in anapaesticis versibus saepissime ad popularem descenderent linguam multaque sibi sumerent, quae in aliis versuum generibus repudiabant: alio enim modo illius aetatis lingua non poterant omnino fieri anapaesti. Quae cum ita sint, mirum esse non potest, ubi primum sano studio ad Plautum tractandum incubuere viri docti, eos intellexisse res illas quae linguae Plautinae sunt propriae et saepissime occurrere et latissime patere in anapaestis [1]). Neque vero ista omnia adhuc collegit quisquam praeter CFW Muellerum, qui in eo libro quo totum de prosodia Plautina locum tractandum sibi proposuit non potuit versuum anapaesticorum quae propria sunt neglegere.

[1]) cf. Ritschl, prolegg. p. CLX sq.

Digitized by Google

Facillime ille omnia explicari existimat lege quadam quam in componendis illis versibus Plautum observasse sibi persuasit, qua tres cuiusque verbi syllabae quae creticum efficerent pedem sive pro anapaesto sive pro dactylo in versibus anapaesticis esse possent. Quae lex cum neque satis certa sit — quibus enim condicionibus prima, quibus tertia corripiatur syllaba, non apparet — neque ad omnia quae cum prosodia Latina in versibus illis pugnant explicanda sufficiat neque ullo modo iis possit satisfacere qui quae prosodiae Plautinae propria sunt non legibus quibusdam metricis sed linguae priscae rationibus niti existimant, prorsus videtur esse abicienda. Versus igitur Plauti anapaesticos denuo pertractare operae pretium mihi visum est, ut appareret, num qui inde ad cognoscendam priscam Latinitatem redundaret fructus, si quis ea profectus via, quam a Bentleio monstratam Ritschelius munivit, singularum rerum, quas aut legis suae argumenta habuit aut alio quodam modo explicanda ratus est Muellerus, causas rationesque studeret perspicere.

Paucis verbis, priusquam ad singula accedamus, dicendum erit, quinam versus Plautini anapaestici sint habendi. Atque in hac quidem re non potui non plerumque adsentiri Muellero, qui ea in discribendis canticis progressus est via, ut a codicum semper scriptura proficiscendum eamque quantum fieri posset tenendam existimaret. Itaque quoniam suo quemque versum loco adferre longum est, Muelleri omnino, nisi me de singulis dissentire significavi, discriptione me uti iisque de quibus ille non dixit aut quos non anapaesticos esse voluit versibus codicum scripturam sequi me scito. Illos autem versus, quorum aut corrupta visa sunt verba aut dubia discriptio metrica, neglegendos existimavi. Sed iam
ὑμεῖς ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν χαίροντες τοῖς ἀναπαίστοις.

Atque primum quidem quicumque vel paululum imbutus est re metrica Plautina ei consentaneum videbitur, quidquid in ipso diverbio Plauto licebat, in anapaestis multo latius

patere. Quae res ut par est optime apparet in eo, in quo totius quod inter artem metricam vetustiorem eamque quam condidit Ennius intercedit discriminis quasi cardo versatur; eam dico priscae linguae Latinae legem, qua verbis quae iambicum efficiebant pedem pro pyrrhichiacis uti poetis permissum erat. Itaque non solum saepissime illa occurrunt in anapaestis, quae in senariis sexcentiens invenimus, *forĕs forăs cavĕ bonĭ* similia, sed corripiuntur etiam syllabae, quas alioqui semper productas habet Plautus ut *locĭs* Trin. 823, *canĕs* Trin. 835, *plagăs* Trin. 237, *colăs* Trin. 294. Cuius generis omnia adferre exempla ab hac disputatione alienum censui, quia neque propria haec res est anapaestorum neque novi quicquam ad cognoscendam Plauti artem adfert.

Sed de alia re, quae et ipsa vel e diverbiis fabularum cognoscitur, paulo uberius dicendum videtur esse. Apud Plautum enim non semper duabus litteris consonantibus effici ut quae antecedit vocalis producatur, certis exemplis confirmatur atque inter omnes constat. Quae exempla cum in versibus iambicis et trochaicis non ita saepe occurrant — decantatum quidem est illud *ferĕntarium* Trin. 456 —, in anapaestis minus facile iis abstinere potuit poeta. Omnia eius generis verba si oculis perlustramus, primum apparet, non pauca ita esse comparata, ut praepositio aliqua cum verbo composita corripiatur. Cuius rei exempla haec sunt: *ăccipiet* Mil. 1062, *ăccipere* Pers. 758, *ăcceptrici* Truc. II 7, 18, *ăccumbe* Pers. 767, *ăttinet* Rud. 962, *ăttinent* Pers. 497, *ădgerunt* Truc. I 2, 16, *ădvorsus* Cas. II, 2, 34, *ĕffeceris* Pseud. 946, *ĭncertas* Rud. 188, *ĭncessisti* Cas. III 6, 6, *ĭndignior* Bacch. 616, *ĭmprobi* Stich. 43, *ĭmpulit* Truc. II 7, 19 (e Buecheleri correctura), *pĕllego* Pers. 500, *pĕrdidi* Aul. IV 9, 13 Poen. V 4, 17 Rud. 222, *pĕrditum* Truc. II 7, 7, *pĕrditissimus* Aul. IV 9, 12, *ŏbsequens* Pers. 181, *ŏbtemperem* Most. 896, *ŏptulit* Aul. IV 9, 11, *ŏggerit* Truc. I 2, 8, *ŏstentat* Cist. II 1, 10; *sŭbdole* Trin. 238 hoc loco adferre non audeo, quia dubitari nequit, quin intruso verbo *blanditur* factum sit,

Digitized by Google

ut aliquid eiceretur [1]). Praeter illa iam aliqua iis adicienda inveniuntur vocabula, quae in Miscellaneis criticis Fleckeisenus collegit, quibus consonantes geminatae, ut positione vocalis producatur, non efficiunt; ex quo numero nonnulla iam attuli, restant haec: *gŭtturi* Curc. 140 (cf. *gŭla*), *sagĭttatis* [2]) Trin. 242, *mĭtte* Pseud. 239 (cf. quod in sententia Minuciorum CIL I, 199 idem verbum et una et duabus *t* scriptum occurrit: 31 *mitat*, 41 *inmittere*, 44 *mittei*), *mamĭllae* Pseud. 180, cum qua re conferre licet, quod in eadem inscriptione *castelum* scribitur (5, 17, 24), cum aliae iam geminentur consonantes, *ŭllam* Rud. 913, *Băllio* Pseud. 599; de verbo *satellites* Trin. 833, quamquam non videtur dubitandum quin tota illa Charmidis oratio anapaestis sit composita, iudicium cohibeo; cuius verbi syllabam ultimam potuisse corripi quam nuper Brixius quoque ad Trin. 835 tutatus est opinionem, quominus agnoscam, duabus potissimum impedior causis. Primum enim verborum iambicorum similitudinem in aliis verbis Plautum secutum esse nullo certo evinci potest argumento. Praeterea etsi syllabam illam *es* in tertiae declinationis nominativo plurali apud Romanos olim correptam fuisse et Graecorum et Italorum praeter Latinos usus veri simile reddit, tamen a Plauti lingua plane alienum censeo, quia nullum apud eum certum invenitur exemplum; diiambus enim *satellites* potius habendus est, quam paeon quartus. — Reliquis iam exemplis id confirmatur, quod e senariorum prosodia licet conicere, certas esse consonantes, quibus quae praecedunt vocales potuerint corripi. Quo e numero primum adferendae sunt eae syllabae quae e vocali et coniunctis litteris *n* et *t* constant. In quibus litteram *n* tenuissime esse pronuntiatam inscriptionibus confirmatur, in quibus interdum plane omittitur; cuius rei aliquot collegit exempla Schmitzius *Beiträge zur lat. Sprachk.* p. 29. In anapaestis haec inveni exempla, quo-

[1]) cf. mus. Rhen. XXVII p. 477.

[2]) cf. Mueller, de pros. p. 253. Fleckeisen, *krit. misc.* p. 39 sqq.

Digitized by Google

rum nonnulla ne a diverbii quidem arte aliena esse quamquam non ignoravi, tamen quoniam numerus quoque eorum, ut rectum de hoc versuum genere fiat iudicium, alicuius momenti esse potest, omnia adferenda existimavi: *căntharum* Pers. 801, *cliĕntarum* Poen. V 4, 7 (probanda enim videtur de hoc versu Muelleri opinio p. 106), *ĭnter* Pseud. 947, *ĭnterim* Pers. 174, *ĭntro* Pseud. 168, *ĭntus* Cist. IV 2, 20 Men. 366 Truc. IV 2, 1, *iuvĕntute* (etsi potest trisyllabum esse) Poen. V 4, 10, *malevolĕnte* Bacch. 615, *pŭntices* Pseud. 184, *talĕntum* Mil. 1061. Huic etiam numero adicienda sunt verba quaedam iambica, quae in litteras *nt* coniunctas exeunt: *colŭnt* Stich. 35, *solĕnt* Most. 859, *vidĕnt* Truc. I 2, 10. 16, *volŭnt* Cist. IV 2, 38 Pseud. 906 Trin. 263. Haec si spectamus verba, recte iudicare possumus de versu Persae 844:

D. Certo ílli homines mihi néscio quid consúlunt mali
quod faciánt. S. Heus vos.

Syllabam enim illam *-unt* tenuissime pronuntiari solitam esse verborum formae quales *dedere fecere* luculenter demonstrant. Nihilo minus valde dubito, num idem iudicium sit ferendum de versu Poenuli V 4, 8:

Quae ad Calydoniam venerant Venerem

Sane fieri potuit, ut quasi *venerat* pronuntiaretur; sed quoniam sine dubio duo verba a *vener* incipientia consulto composuit poeta, veri mihi videtur esse similius in priore verbo litteram *e* alteram in pronuntiando suppressam quam ictu metrico ceteris syllabis validiorem redditam esse; verborum enim similitudo multo clarius audietur, si pronuntiabis:

Quae ad Cálydoniam venránt Venerem, quam si dices
Quae ad Cálydoniam venérant Venerem.

Quamquam quod simile adferam praeter Pisaurense illud DEDROT (CIL I 173) non habeo. Praeterea bis occurrit correptum *sunt* Pers. 848 et Bacch. 1087, quod quo magis illustretur, conferendum est quod in Oscorum lingua *censebunt* est *censazet*, siquidem futurum illi tempus efficiunt adiectis ad verbi stirpem variis verbi substantivi formis. Ceterae de qui-

Digitized by Google

bus hoc loco dicendum est consonantes cum non tam saepe occurrant, breviter mihi sunt adferendae: *ĭgnobilis* Pseud. 592; *cŏmpedes* Pers. 786, qui versus non minus quam qui antecedunt septenarius videtur esse; *ĭncudem* Amph. 159, *vĭncere* Pseud. 236, nisi cum Ritschelio verborum loca mutare mavis; *agŭndis* Poen. V 4, 16 (cf. SECVDO CIL I p. 327, 2. 26), *ĭndignior* Bacch. 616, *prăndium* Men. 367, *ĭnde* Rud. 960, *ŭnde* Bacch. 1106 Pers. 494; *quadrĭngentis* Bacch. 1183; *sĕptumas* Pseud. 597; *tŭrbidos* Trin. 298, *tŭrbines* Trin. 835, *vĕrberat* Truc. I 2, 17, quem versum scribendum esse

Me quídem illis haec verberát verbis

Muellerus pag. 422 significavit; *vĭrgines* Pers. 845; *gubĕrnabunt* Mil. 1091, *ŏrnatus* Aul. IV 9, 10, *hărpago* Trin. 239; *sĕrvitus* Amph. 166; *Pardalĭsca* Cas. V 1, 12: hic enim versus ita fere restituendus videtur

Nunc vólo praesidem te hic, Párdalisca, esse, hinc qui éxeat, eum ut ludíbrio habeas;

potĕstas Trin. 822, *pŏst* Pseud. 586, qui versus ita traditus est

Post ad óppidum hoc vetus contínuo mecum exércitum protinus óbducam,

resĭstes Cas. III 6, 10, *venŭstatum* Poen. V 4, 5, *vĕstiat* Cas. IV 4, 4; *duplĕx* Bacch. 641, *Philŏxene* Bacch. 1106. Non attuli in hac serie quae in diverbiis quoque non raro occurrunt, *ătque senĕx ŭxor ŏmnis ĕsse* similia. Gravissimi ex illis locis sunt ii, quibus verba *ignobilis* et *ornatus* primas correptas habuisse vocales Plauti aetate efficitur, quoniam posteriores non dixere Romani nisi *īgnobilis* et *ōrnatus*. Eius generis versus quoque est Menaechmorum 588:

Sicút me hodie nimis sóllicitum cluens quídam habuit neque quód volui,

ex quo cognoscimus legem illam, quam in Oratore (cap. 48) commemorat Cicero, Plauti temporibus non sine exceptione valuisse. Hoc potissimum loco commemorandus denique videtur versus Militis gloriosi 1024:

Digitized by Google

PY. Age, age út tibi maxume cóncinnumst. PA. Nullúmst hoc stólidius saxum.

Putabant viri docti adverbii *maxume* syllabam tertiam corripi potuisse eodem modo quo *bene male probe* pyrrhichiaca essent apud Plautum adferebantque quod Pseud. v. 574 occurrit anapaesti loco positum *prospere*. Sed cum praeter tria illa ne iambicum quidem adverbium apud Plautum occurrat correptum neque ullum praeterea eius rei vestigium inveniatur, res mihi quidem valde dubia videtur esse; quare quoniam de verbo *prospere* aliter esse iudicandum variis exemplis ab Vsenero collectis ind. schol. Gryphisw. 1866 p. 16 apparet, Militis versum sic scribendum censeo

Age, age út maxume tibi cóncinnumst e. q. s.

Vocalem enim illam *a* natura brevem esse adverbio *măgis* demonstratur, et quae olim contra adferri potuit inscriptio Romana quam Gruterus p. 18, 2 edidit, in ea non MÁXIMŎ sed MAXIMÓ scriptum esse nunc constat (CIL VI 1, 404).

Deinceps de alia re est disputandum, quae et ipsa in diverbiis multo angustioribus est circumscripta finibus quam in anapaestis. Saepissime enim verba bisyllaba, quae in consonantes exeunt, ita in versibus sunt posita, ut extremam illam consonantem aut omnino non aut certe tenuissime pronuntiatam esse intellegamus. Quam rem in anapaestis non esse rariorem consentaneum est. Longum est omnia hoc loco adferre illa *lubet decet placet bonum malum amor soror pater viden potin* similia. Sed cum litteram *m* in fine vocabulorum positam in lingua Romanorum prisca saepissime neglectam esse inscriptionibus demonstretur, hunc usum in anapaesticis versibus non in iambicis tantum vocabulis valere voluit Plautus. Argumento est satis magnus exemplorum numerus: *acceperam nobilis* Trin. 828, *Calydoniam venerant* Poen. V 4, 8, *exercitum protinus* Pseud. 586, *glandium sumen* Pseud. 166, *gloriam iam* Trin. 828, *idem misl* Cas. II 2, 11, *liberam me* Pers. 774, *neminem deteriorem* Bacch. 1180, neque enim recte Ritschelius scripsit *nullum* cf. Merc. 141. 142 Pers.

Digitized by Google

209, *nubilam mentem* Cist. II 1, 5, *obtemperem quom* Most. 896, *otium mihi* Cas. II 2, 39, *oppidum magnum* Rud. 934, nam ne *ŏppidum* Plautum pronuntiari voluisse censeam, antecedentis similitudo impedit versus, *omnium praecipuos* Trin. 1115, *Paegnium tarde* Pers. 772, *praemium pietati* Poen. V 4, 17 (Muelleri enim probanda videtur correctura p. 232 adn.), *quispiam quaeret* Cas. II 2, 3, *quempiam se* Truc. I 2, 10: veri forsitan similius potest alicui videri litteram *i* consonantem esse potuisse, quia cum verbo *iam* compositum est *quispiam*; tamen quia apud Plautum semper *etiam nunciam quoniam* sunt trisyllaba, nunquam crediderim *quispiam* esse potuisse bisyllabum; *singulum video* (?) Cist. IV 2, 34, *sospitem quaeso* Poen. V 4, 15, *sumbolum me* Pseud. 598, *stratioticum nuntium* Pseud. 603, quo versu verborum ordinem codicibus traditum servandum neque quam Muellero quoque probavit Fleckeisenus mutationem accipiendam esse sententia demonstrari mihi videtur, *unciam pondo* Rud. 913, *vidulum condam* Rud. 936. Duo tantum in *t* litteram exeuntia hoc loco adferenda sunt verba: *comprimit consilium* Merc. 340 et *prolicit per* Curc. 97; quae res quomodo sit explicanda patet: bisyllaborum pervaluit analogia in compositis. Quae res non minus cognoscitur e tribus versibus, quibus Iovis nomen ad nominis *pater* similitudinem est positum: *Iuppiter iuvisti* Pers. 755, *Iuppiter qui* Poen. V 4, 14, *Iuppiter faxo* Poen. V 4, 18. Maiorem sibi sumpsit libertatem Plautus in his verbis: *avariter faucibus* Curc. 127, quo in versu non esse scribendum cum Ritschelio *haustibus* demonstravit Muellerus *Nachtr.* p. 52, *uritur* Pers. 800 et 801, quem locum ita fere censeo restituendum:

Iurgíum hinc auferas si sápias. DA. At, bona líberta, haec scivísti
et mé celasti? L. Stúltitiast, quoi béne esse licet praevórti
eum lítibus. posteriús istaec te par ágere est. D. Uritur cór mi.

L. Da illí cantharum. exstingue ígnem, si cor[1]) úritur,
caput ne ardéscat;

utimur sumus Bacch. 1108.

Iam in horum exemplorum nonnullis verba composita ad simplicium similitudinem in versibus collocata esse intelleximus. Vel optime idem cognoscimus, si ea spectamus vocabula, quae e verbo iambico et praepositione aliqua constant; saepissime enim eiusmodi verbis pro dactylo Plautus utitur: *accubĕt* Bacch. 1191, *adloquăr* Men. 360, *attinĕt* Cist. IV 2, 33, recte enim ut videtur Pareus verbum *hoc* adiecit:

Ad duós hoc attinet hí qui sunt?

constitĭt Cist. IV 2, 31, *exeăt* Cas. V 1, 13, *exiĭt* Cist. IV 2, 32, *imbuăs* Trin. 294, *imperă* Mil. 1031, *improbĭs* Pseud. 1110, *nesciŏ* Aul. IV 9, 2, *obsecrŏ* Aul. IV 9, 4, *occidĭ* Aul. IV 9, 1, *perditŏ* Cist. II 1, 13, *persequăr* Cist. IV 2, 30, *suscitĕt* Rud. 922, *transeăt* Mil. 1089. Huic numero num adserenda sint, de quibus supra aliam proposuimus opinionem, *adgerunt* Truc. I 2, 16, *attinet* Rud. 962, *impulit* Truc. II 7, 19, *perdidi* Aul. IV 9, 13 Poen. V 4, 17 Rud. 222, nondum certo videtur diiudicari posse. Omnia autem quae iam attulimus exempla ita sunt comparata, ut positionis vis neglegatur in nullo; neque vero desunt, in quibus haec quoque res videtur statuenda esse, etsi multo rarius occurrunt: *auferăs si* Pers. 797, *differŏr distrahŏr diripior* Cist. II 1, 5, *expetŭnt sibi* Most. 861, *improbĭs se* Truc. II 7, 3.

Hoc iam loco dicendum videtur esse de quibusdam verborum formis, quarum extremas syllabas consuetudine aetatis suae neglecta corripuit Plautus. Qua in re id quoque dignum est quod memoretur, omnia illa verba ita collocata esse

[1]) Verbum *cor* apud Plautum produci potuisse suspicatus est Brixius ad Mil. gl. 1088; tamen Militis illum versum nondum emendatum esse et verbo *dicito* (cf. Mueller p. 407) et codicis B scriptura demonstrari videtur.

Digitized by Google

in versibus, ut sequatur verbum, cuius prima littera est vocalis. Quattuor tantum certa inveni exempla: *ingurgităt* Curc. 126, *paenitĕt* Bacch. 1182, *redierĭt* Pers. 787, *effecerĭs* Pseud. 946 (cf. Mueller p. 51).

Hunc qui est de verbis quae cum iambicis composita sunt locum antequam relinquamus, de duobus disputandum est vocabulis, *sedulo* et *ilico.* Quorum illud cum per hypostasin quam dicere consuevimus ortum sit ex *se dolo*[1]), fieri potuit ut a Plauto dactyli loco in versu collocaretur. Persae enim versus 843 ita fere est traditus:

T. ⏑⏑ gráphice hunc volo ludíficari. L. meo ego ín loco
se dulo cúrabo.

Ex quo ipso versu nescio an rectum proficisci possit de altero illo verbo iudicium. Ut enim *in loco* dactylum effecit pedem, idem fieri potuisse videtur verbo *ilico*; bis enim ita traditum est in versu Casinae III 6, 2, ut legendum sit:

Quia quód tetigere, ilíco rapiunt; si eás ereptum, ilíco
scindunt.

Quoniam quae de verbis bisyllabis iisque quae eorum secuntur similitudinem erant dicenda, iam exposui, pauca adferenda videntur de correptis monosyllabis. Nolo omnes illos coacervare locos, quibus variis pronominis *hic* casibus, quibus ceteris pronominibus, particulis, verbo substantivo *est* pro brevibus syllabis utitur poeta; memoratu digna atque versuum anapaesticorum propria haec sunt: *ĕs qui* Bacch. 1169, *sĭs ni* Men 110, *sĭt atque* Truc. II 7, 3, *sĭt spes* Mil. 1051, *huĭc verri* Mil. 1059, *hăs pellege* Pers. 497, *sĕ dolo* Aul. IV 9, 14: hoc enim verbum in lingua populari corripi solitum esse praepositione *sĭne* demonstratur, cuius priorem primitus productam fuisse syllabam vetere scriptura SEINE demonstratur (CIL I 198, 54); *ăd me* Pers. 497 et 498, qui versus facillime ita legitur:

Nam e Pérsia ad me adlataé modo sunt istae á meo
ero. D. Quando? T. Hau dúdum,

[1]) cf. mus. Rhen. XXXV p. 629.

Digitized by Google

ăt mandata Pers. 170, *ăt tibi* Pers. 847, *cŭm machaera* Pseud. 593: ultimus enim illius scaenae versus hic fuisse videtur:

> Lubet scíre quid hic veniát cum machaera et hinc quám rem agat, huic dabo ego ínsidias,

nam quod in Ambrosiano est codice *venerit*, stare nequit, quia nondum adest Harpax, sed accedit, veniendi autem verbum magis videtur hoc loco aptum esse quam quod Palatini exhibent codices *velit*; *cŭm novo* Trin. 840, *năm quĭd mi* Aul. IV 9, 13:

> Perditíssumus sum omnium ego ín terra. nam quid mi ópust vita, qui tántum auri,

quăm quidem Bacch. 1204 (cf. verbum *quasi*, quod e *quam si* non potuit fieri nisi abiecta littera *m*, qua servata ortum est QVANSEI CIL I 200, 27). Verbum *est* in anapaestis non modo cum bisyllabis coniunctum verbis (*malast datust abest*), sed etiam cum trisyllabis corripitur: *fabolăst* Pers. 788, *tertiŭst* Stich. 30.

Sed alia quoque res in monosyllabis observatur verbis, quam cum Ritschelius prolegg. p. CCIII solis anapaestis vindicasset, Fleckeisenus ceteris quoque inferre metris conatus est (annal. philol. LXI p. 49 sqq.), hiatus in thesi admissus. Cuius unum et viginti collegi exempla: *dĭ ăménț* Pers. 492 Pseud. 943, *quĭ ămát* Curc. 142, *sĭ ămánt* Bacch. 1165, *tĕ ămábo* Bacch. 1199, *tĕ ămó* Pseud. 944, *tŭ ămás* Cas. III 6, 5, *mĭ ămíce* Cas. III 6, 6, *quĭ ămábilitati* Poen. V 4, 1, *quŏ ĕám* Aul. IV 9, 2 Rud. 225, *quĭ ĕám* Aul. IV 9, 5, *sĭ ĕás* Cas. III 6, 2, *quĭ ĕrúnt* Pers. 778, *quĭ ĕrús* Cas. III 6, 11, *sĭ ĕgét* Curc. 142, *tŭ ĕdés* Stich. 321; *iăm ĕgo ibo* Cas. II 2, 9, *iăm ŭbi* Rud. 930, *quăm ŭti* Poen. V 4, 11, *năm ĕgo húc* Truc. I 2, 17.

Synizeseos deinceps quae dicitur exempla sunt recensenda. Quam in anapaestis aliquanto latius quam in ceteris versuum generibus patere iam in prolegomenis Ritschelius statuit p. CLXI. Sed vel in ipsis anapaestis certorum propria

Digitized by Google

fuisse videtur vocabulorum, siquidem in *fili* nomine octiens, in *gratiae* verbo sexiens occurrit. Ceterum non invenitur nisi in vocali *i* et raro in *e*. Omnino autem non tam multa sunt exempla quam Ritschelii verbis perductus aliquis potest opinari: *audiens* Truc. I 2, 25 (cf. *sententia parentes* pro *sententia parientes*), *filii* Bacch. 1204 Mil. 1081, *filiis* Bacch. 1206, *filio* Bacch. 1164. 1196 Trin. 839, *filios* Bacch. 1168, *filium* Bacch. 1175, *gratiam* Pseud. 1317 Trin. 293 Truc. I 2, 15, *gratias* Trin. 821. 824, *gratia* Stich. 327, *gaudiis* Trin. 1116. 1119, *nuntium* Pseud. 603, *nuptiis* Cas. V 2, 2, *otio* Trin. 838, *pollentia* Cas. IV 4, 3, *pridie* Mil. 1083 (cf. *die* monosyllabum), *saviis* Trin. 242, *sobrie* Pseud. 942; *aurei* Stich. 25, *aurea* Curc. 139, *vineam* Curc. 139, *faeceos* Trin. 297, *censeo* Rud. 961, quod Oscorum *censaum* videtur respondere, nisi forte rectius litteram *o* correptam esse statuemus. Eadem in tribus verbis oritur dubitatio, quae tamen synizeseos exemplis esse adserenda veri videtur aliquanto similius; comparativos dico illos: *dignior* Mil. 1043, *indignior* et *nequior* Bacch. 616, quos cum omnes sequatur verbum a consonante incipiens, facilius de synizesi quam de correptione cogitandum esse existimo. Contrariam tamen propono de verbo *postriduo* opinionem, quod nisi in Militis gloriosi v. 1082 in litteris Latinis non invenitur. Nihil aliud videtur esse nisi coniuncta verba *post* (seu potius *pos*) *triduom* abiecta littera *m*, quae quam tenuiter illis temporibus pronuntiata sit in fine verborum, supra iam memoravimus. Si quis vero in hoc vocabulo praepositionem *post* cum ablativo iunctam esse existimet (cf. *posthac postidea*), nihil relinquitur nisi ut *triduo* synizesi bisyllabum factum esse statuat.

Iam restat, ut de vocalium syncopa disputem, qua qui olim Plautum tractarunt mirum quantum abusi verborum formas quae ne pronuntiari quidem poterant, nedum intellegi effecerunt. Id tamen videtur consentaneum esse, quod titulis quoque servatis comprobatur, non posse intercidere vocales, quae ad primitivam verbi partem pertineant. Quare haec

Digitized by Google

ferri possunt exempla: *altro* Cist. IV 2, 30, *altrum* Bacch. 1184 (cf. Mueller, *Nachtr.* p. 69), *cetri* Truc. I 2, 9, *cetris* Poen. V 4, 10, *libras* Pers. 845 (cf. CIL I 1258 LEIBRAVIT), *Libri* Curc. 98, *littras* Pers. 173, *macravi* Capt. 928 (cf. *macer macra macrum*, quod adiectivum quin eiusdem sit stirpis non videtur dubitandum [1]), etsi primam correptam habet syllabam), *tempri* Pers. 768 Rud. 921, quamquam priore in versu etiam de *tĕmperi* licet cogitare; neque de verbo *maritumis* Cist. II 1, 11 aliter videtur statui posse, etsi aliquanto incredibilior haec est syncopa vocalis *u*, cum rectene comparari possint, quae in titulis sunt VICESMA CIL I 187 et DECMVS CIL I 821 cum Ritschelio (Opusc. II p. 485 adn.) liceat dubitare; de verbo *venerant* Poen. V 4, 8 supra dictum est. Dubitet forsitan quispiam, sintne huic numero adicienda *avariter* Curc. 127 et *obtemperem* Most. 896, tamen quas supra de iis protuli opiniones, minus mihi videntur alienae esse ab arte Plautina, praesertim cum adverbium illud non a stirpe *avar-*, sed ab *avari-* derivari solitum esse versu Rudentis Plautinae 1238 demonstretur et adverbii *temperi* syncopa non nitatur nisi uno exemplo certo. Item in verbo *experitur* Cist. II 1, 11 non est cogitandum de syncopa, sed iudicandum de eo eodem modo quo de illis *convenat evenat potĭtur* similibus. Non tam certum ferre audeo iudicium de verbo *machinas* Pers. 785, quamquam sane alia non videtur patere via, nisi ut *macnas* a Plauto pronuntiatum esse existimemus. Quae res aut ita videtur explicanda, ut hanc antiquiorem existimemus formam Latinam, ex qua *macina* eodem modo potuit evadere quo *tecina* e Graeco τέχνη, aut ita ut mediam illam vocalem verbi μαχανά, postquam accentu in primam reiecto syllabam in *i* mutata est (cf. quod e πατάνα est factum *patina*), levissimam hanc et tenuissimam in lingua populari plane intercidisse cen-

---

[1]) Quae res quo magis illustretur, conferas inter se Lucr. III 75 *Consimili ratione ab eodem saepe timore Macerat invidia* et Hor. ep. I 2, 57 *Invidus alterius macrescit rebus opimis.*

Digitized by Google

seamus. Ex quibus opinionibus prior propterea videtur paulo credibilior, quia et Latini prisci in Graecis nominibus non modo non horruisse tales consonantium compositiones (cf. *Aisclapi* Eph. epigr. I pag. 8), sed etiam eiectis vocalibus effecisse videntur (cf. *Melerpanta* CIL I 61, *Hercles* CIL I 1500) et vocales illae, de quibus copiosius dixit Ritschelius (Opusc. II p. 469 sqq.), apud Plautum non semper solent intercalari (cf. *poplus*, *periclum* Trin. 1088, *vehiclum* Pers. 782).

Digitized by Google

EMENDATIONES AD SENECAE EPISTVLAS MORALES LXXXVIII PRIORES

CONTVLIT

PAVLVS WOLTERS

Fickertus cum Senecae epistulas ederet ita eas recensere instituit, ut libros ‘antiquissimos et probatissimos quasi duces sequeretur, nec, nisi necessarium visum esset, ad deteriores deflecteret’. Haec satis aperte demonstrant, quam pravo iudicio egerit. Recensionem codicum cum ne incohaverit quidem, semper fluctuatur, nec ubi consistat in librorum tanta et tam varia multitudine habet. Hic recensionis labor aliquando perficiendus nobis eo difficilior factus est, quod neque omnia in commentarium suum transtulit Fickertus nec semper recte, nec denique collationibus usus bonis. Ne Haasius quidem hoc nobis praestitit officium, ut ad certas normas discriberet codicum multitudinem, sed contentus fuit codicem p sequi, interdum etiam ubi sine dubio corruptus est vel ubi Fickertus falsa ex eo protulit. Sed vel ita multum profecit. Nobis interim si aliquot locos emendare studemus, libros vetustissimos et non interpolatos adhibendos esse apparet, ut aliquid saltem solidi teneamus. Madvigius (Advers. critic. II p. 458) ad hanc priorem epistularum partem tres advocavit codices, Parisinos duos (Pp) et Argentinensem (Arg. b). Sed collationibus Fickertianis tantum ei uti contigit, quae quam nullius pretii sint nuper nos edocuit Aemilius Chatelain (*Revue de philologie N. S.* vol. I p. 101)

Digitized by Google

codice p toto et ubicunque hic deficit P et Par. b denuo excussis. Qui utinam non contentus fuisset codicis p lectione nobis ministranda.

Quattuor igitur codices ante omnes adhibendi sunt: Parisinus 8540 (p) saeculo X ineunte scriptus ab homine rudi et secunda cura multa corrigente vel potius corrumpente, crassa ut par est Minerva.

Parisinus 8658 (P) item saeculo X a Ragamberto quodam multo emendatius quam p scriptus, sed interdum lacunosus.

Parisinus 8539 (Par. b) saeculi XI non contemnendus, quantum ex eis iudicare licet quae Chatelainius protulit. Fickertus enim tantopere eum neglexit, ut Madvigius inter vetustiores eum libros ne nominaret quidem.

De Argentinensi (Arg. b), quem alii X alii XII vel XIII saeculo adtribuerunt, difficile est iudicium, quod çum infaustissimo incendio nobis ereptus sit, ad Schweighaeuserum et Fickertum relegati sumus. Hoc eo molestius est, quod quantum Oberlini collationi, qua Fickertus utebatur, dandum sit dubitatur. Sunt qui ne eundem quidem librum contulisse statuant Oberlinium et Schweighaeuserum.

Alius libri vetustissimi et ut videtur optimi, sed usque ad hunc diem mire neglecti notitiam debemus HAKochio (Annal. Fleckeiseni 1875 p. 727); post eum Aemilius Chatelain (*Revue de philol.* vol. IV p. 125) de eo egit, sed uterque brevissimis. Est Laurentianus plut. LXXVI 40, saeculo IX exeunte ut dicunt scriptus, epistulas continens sexaginta quinque priores in libros distributas. Nonnullas ex hoc codice lectiones protulerunt Kochius et Chatelainius, sed ne ad unum quidem locum pertinentes eorum, quos mihi tractandos proposui. Hunc igitur librum interim missum facio.

Praeter hos ut quinto libro probo et vetusto uti mihi liceat egregiae Studemundi humanitati debeo. Hic enim cum Argentorati versarer narravit, se Divoduri vidisse exemplar Senecae admodum vetus, et petente me impetravit ut Argen-

Digitized by Google

toratum transmitteretur. Vbi per duos menses totum contuli cum editione Fickertiana.

Hic codex M (de quo conferendus est: *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements, publié sous les auspices du ministre de l'instruction publique* vol. V p. 131) nunc bybliothecae publicae Metensis est trecentesimus, olim monasterii s. Arnulphi Metensis fuit. Saeculo scriptus est XI ineunte. Insunt RELATIO IERONIMI DE SENECA, EPŁE SENECAE AD paulū apłm ET pauli AD SENECĀ, EPYTAPhYVM SENECAE, SECVNTVR DEHINC EPLE MORALES LVCII ANNEI SENECE AD LVCILIVM. Epistulae insunt LXXXVIII priores, neque in libros distributae neque numeratae nisi a manibus recentioribus. In fine codicis carmen quoddam legitur de commercio epistularum, quod inter Senecam et Paulum intercessisse ferebatur. Hunc librum ex nullo eorum quos modo enumeravi pendere certis argumentis evinci potest: sed haec nunc proferre longum est.

His igitur nisus codicibus locos aliquot emendare conatus sum. Permulta leviora, inprimis ad ordinem verborum spectantia, abieci ne taedio afficerem legentes, cum praesertim vel nunc res minimas me curasse iure aliquis increpare possit. Neque hoc mihi vitio vertas quaeso, quod locos corruptos et a multis multimodis temptatos silentio praetergressus sum, nam tacere satius duxi etiam ubi locum nondum sanatum puto, quam vana et incerta proferre. Quod vero non semper epistularum ordinem secutus sum, spero molestum non fore, cum res ipsa hunc interdum relinquere suaserit. Numeris utor Haasianis, sed Fickertianos ubique addo uncis inclusos.

Ep. 2, 3 (2) *Non convalescit planta quae saepe transfertur.* Sic codices et editiones fere omnes, vix recte. Non enim refert hic vigeat planta necne, sed num penitus inhaereat terrae. His exemplis utitur Seneca: cibus corpori non adcedit, crebra mutatio remediorum (quippe quae saepe

mutata inhaerere non possint corpori) impedit sanitatem, volnus non venit ad cicatricem. Quibus aptissime subiungeretur plantam saepe translatam non radices agere firmas nec penitus insidere humo. Itaque scribendum esse puto *coalescit* verbo solemni (cf. e. gr. Colum. II 6, 4. II 18, 5. III 5, 2. III 18, 6 Varron. R. R. I 41, 2 Sueton. Aug. 92 Quintil. Decl. 18, 9). Saepius pro *coalescere* legimus *convalescere* vitiose ut apud Colum. III 3, 4. IV 16, 1 et Varronem R. R. I 23, 6 ubi *coalescere* restituere non dubito sententia ipsa flagitante.

Eadem permutatio commissa est ep. 38, 2 (2) *convalescunt et exsurgunt.* Qui enim planta exsurgere potest, quae eadem iam convaluit, et convalescere antequam exsurgat? Scribamus igitur *coalescit,* ut aptam Senecae restituamus sententiam. Dignum est memoratu, quod ep. 2, 3 (2) *coalescit* (quod iam Muretus recepit) in codicibus γ θ et in margine codicis G legitur, de quorum cognatione nil certi scio, ita ut ne hoc quidem dicere possim, utrum librariorum emendationem hic agnoscere debeamus an lectionem antiquitus traditam.

Ep. 2, 6 (5) *quantum pascat, quantum faeneret.* Sic si Fickerto credimus libri optimi. Sed Chatelain in Pp legit *aut faeneret* quod etiam in Par. b Arg. b et excerptis de paupertate legitur. Adde quod idem in M inveni, et puto *aut* recipiendum esse concedes.

Ep. 4, 6 (4) *Nullum bonum adiuvat habentem* habent codices. Non autem de adiumento agitur, sed de iucunditate, ita ut rectum esse videatur quod iam inde ab editione Romana anno 1475 impressa edebatur *iuvat.* Vnus R[1]) et excerpta hanc tuentur lectionem, reliqui omnes corruptam

---

[1]) Si re vera haec lectio in R est, coniectura eam natam esse putabimus. Sed potest error esse Fickerti, nam editio Ruhkopfiana cum qua hunc codicem contulit habet *iuvat.* Idem cadit in E de quo Fickertus ipse dubitavit.

Digitized by Google

praebent. In fine paragraphi antecedentis 5 (4) molestum est quod nunc legitur *et vivere nolunt et mori nesciunt.* Certe Pp M Arg. b et g (quem codicem undecim tantum epistulas continentem inter optimos esse constat) omittunt *et* ante *mori.* Sic igitur scribendum est: *et vivere nolunt, mori nesciunt.*

Ep. 7, 5 (4) libet exemplo quodam demonstrare, in quos errores optimorum codicum collationes parum diligentes Fickertum induxerint. Verba *meruit ut suspendatur* delenda esse rectissime intellexerat Ludovicus Ianus (Symbolarum p. 10 et Annalis a IChlahnio et RKlotzio 1843 editi p. 10), sed retinuit Fickertus, quod in optimis libris extarent. Sed in p tota haec epistula folio evulso deperiit, in PM Par. b Arg. b non leguntur. Quid ergo ea exturbare dubitamus?

Ep. 8, 3 (3) *Quisquis nostrum tutam agere vitam volet.* Hoc cum Seneca aliis praecipiat necesse est *vestrum* scribi ut in M legitur. In P *nostrum* inest, codicis p ope destituti sumus, de ceteris non liquet. *vestrum* post editionem principem recepit Schweighaeuserus ex mss. ut dicit, in Arg. b igitur sic legit, ex quo eodem *nostrum* enotavit Oberlinius. Sed quid libris opus? Mutatio minima vel potius nulla est, et necessaria.

Ep. 18, 13 (10) *si illas tamquam exituras semper adspexeris.* Opes non exituras sed perituras esse monuisse sufficiet ad probandam lectionem *exiturus*, quam eandem is invenit qui codicem θ scripsit.

Ep. 20, 2 (1) *Aliud propositum est declamantibus . . . . aliud his qui iuvenum . . aures disputatione varia aut volubili detinent: facere docet philosophia, non dicere.* Sic si scribimus tria discernimus proposita, declamantium, disputantium, philosophorum. Sed duo tantum posuit Seneca, dicere et facere. Quid deinde differunt declamantes et disputantes, quantum ad res et verba pertinet? Nihil si mihi credis. Delendumst igitur *aliud his*, ut sana fiat sententia.

Digitized by Google

Ep. 22, 2 (1) *Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum et mandari potest et scribi.* Non de hoc agitur, quid in universum mandari possit, sed quid mandari, et non an mandari possit quid oporteat, sed quid in universum oporteat, quid in unaquaque re. Interpungendum igitur post *universum* est. Infra § 3 (2) pro *Et quidem* scribendum esse *Equidem* breviter moneo.

Ep. 22, 15 (11) *Nemo aliter quam quomodo natus est exit e vita.* Itane? Immo nemo eo modo exit e vita quo natus est. Tum non refert quomodo sed quales moriamur. Postremo conferas ea, quae paulo ante Seneca scripsit: ‘Nemo non ita exit e vita tanquam modo intraverit’, nec puto te dubitaturum quin rectum sit quod T et w habent: *Nemo aliter quam modo natus exit e vita*, nisi forte praestat scribere: *Nemo aliter quam qui modo natus est exit e vita*, unde optimorum codd. lectio facile nasci potuit.

Ep. 23, 8 (7) *Alia proxima ripae cursu languescente deposuit.* Vix intellegitur, quid sibi velit *proxima ripae deposuit*, quod ut aliqua insit sententia explicabimus: deposuit prope ripam ita ut ripae proxima fierent. Sed hoc si voluisset Seneca scripsisset *prope ripam.* Deinde amnis si quid deposuit in ripa deposuisse debet. Libros mss. si inspicimus invenimus in M *proximae ripae* quod idem in p olim fuit, sed erasa littera *e* nunc *proxima* legitur. P *proxima e rupe* habet, quod eandem lectionem nobis suppeditat, eaque etiam in Arg. b et Par. b est, si Schweighaeusero credimus. Hanc lectionem sensui aptissimam recipiendam esse duco, Schweighaeuserum secutus. In eadem epistula maculam parvolam abstergere liceat § 6 (5) *quod unum potest te praestare felicem.* Cum *te* omittatur in p, ab Haasio ut spurium uncis inclusum est. Hoc est codicibus probis abuti ad corrumpendos scriptores. In M *te* legitur ante *potest* ut in plerisque codicibus, quos Fickertus ipse contulit, et hoc loco re vera ponendum esse puto.

Digitized by Google

Ep. 24, 4 (4) Quis unquam putavit hominem aliquem alteri promittere, quod huic faciendum esset? At si editionibus nostris credimus, fuerunt qui Socrati fugam *promitterent.* Promiserunt fugae fore ut pateret ostium, sed fugam nemo promittere potuit nisi Socrates ipse. Fuerunt qui *permitterent* fugam. Sic in p, sic in editionibus vetustioribus (inde a Romana) legitur, sic et nos legamus oportet.

Ep. 29, 7 (6) *Gaudebo tanquam in malis, quod illi genus insaniae hilare contigerit.* Quid? tamquam in malis gaudebit Seneca? Ecquis haec intellegit? Ego interpretem me nancturum esse despero et interim pro *malis* scribo *male sanis.* In eis quae antecedunt deleamus oportet *quam vendunt* molestum additamentum librariorum, qui comparativum *honestius* non intellexerunt. Vnus p ab hac interpolatione liber mansit. In § 4 (3) denique pro *tendentis in pravum* necessario scribendum est *tendens in pravum.*

Ep. 33, 7 (7) *Dicat ista non teneat.* Pessime agitur de viro certi profectus — sic enim superiora verba coniungenda esse docuit Madvigius —, si sententias magnas non tenet, sed dicit tantum. Immo nihil interest utrum dicat necne sed utrum sciat; *sciat* igitur pro *dicat* substituamus.

Ep. 40, 8 (8) Velocitas sine lege vadens mihi non placet; expectarem sine lege *vagantem.*

Ep. 47, 17 (15) *Ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum.* Immo *pantomimarum*, nam quomodo pantomimorum mancipia fieri possint iuvenes nobiles non intellego. In eiusdem epistulae § 14 (12) *patrem familiae* legimus, cum ex vetustiore loquendi more expectemus *familias*, quod ex coniectura nonnulli codices Romani habent, recte ut mihi videtur. Nam etiam Macrobius Sat. I 11, 11 qui plura ex hac epistula in suum usum convertit sic scribit et ep. 86, 14 (13) et P et alii *familias* habent.

Ep. 48, 9 (48 bis, 5) *et comminui et debilitari* putidum

Digitized by Google

est. Prius *et* a Mp et aliis libris alienum est, ideoque omittendum. Idem pluribus locis occurrit ut 54, 5 (4) *et extinguimur et accendimur* 78, 12 (11) *licet et cavere venturum et obsistere imminenti*: prius *et* omittunt hic PM (nam codicis p ope destituti sumus inde ab ep. 71), illic Mp. Ep. 77, 13 (11) rursus *multa milia et hominum et animalium* restituendum esse videtur ex auctoritate PM Par. b. Ep. 66, 36 (34) *aut stare aut ambulare* prius *aut* omittitur in pM Arg. b all., quos sequemur.

Ep. 50, 6 (6) *Sed nec indurata despero* ferri potest, sed oratio concinna postulat *induratam*, ut est in M et in editionibus Menteliana et Schweighaeuseriana.

Ep. 51, 6 (5) *saeva quoque ad se ingenia rapuerunt.* Non de saevitate agitur, quae tantum abest ut defendat nos a voluptatibus ut prona sit ad omnes affectus, impotens sui, sed de severitate. Scribo igitur *severa.*

Ep. 52, 7 (6) *durum et laboriosum* in libris optimis (PM Par. b — p hoc loco mancus) non legitur, sed *durum ac laboriosum.* Item 76, 28 (21) *vir fortis ac iustus* est in codicibus eisdem, cum in editionibus sit *et iustus.*

Ep. 52, 14 (14) *Ad rem commoveantur non ad verba composita.* Verba composita nemini unquam vitio dantur, sed verba *compta.* Sic igitur scribendum est. Eadem permutatio ep. 40, 4 (4) invenitur, ubi eo libentius Schultessio (De L. Annaei Senecae quaest. nat. et ep. comm. p. 44) credo *incompta* pro *incomposita* scribendum esse, quod ipse in hanc incidi coniecturam. Sit mihi haec occasio et fortassis excusatio rem minimam corrigendi. Ep. 40, 3 (3) *agenti in rem magnam* scripsit Fickertus ex Pp all. auctoritate ut putabat. Sed in p non legitur *in* neque in M, ita ut nec pro ceteris spondeam. Igitur praepositionem delebimus.

Ep. 53, 5 (5) miror Fickertum et Haasium levem Ruhkopfii coniecturam recepisse et *ubi primum stomachum quem scis cum mari nausiam effugere collegi* scripsisse, deleto *non* quod ante *cum* Pp M Par. b habent, cum *ut primum* satis

Digitized by Google

aperte demonstret aliquod tempus praeterisse priusquam stomachum colligeret. Eiusdem ep. § 10 (11) *idem philosophia rebus omnibus* Hauptius pro *rebus* scripsit *verbis*, vereor ut recte. Mihi placuit *nobis* collato e. gr. loco de Cons. ad Marciam 17, 6.

Ep. 54, 2 (2) *Facit enim aliquando* etc. Quid tandem? Exibit e corpore. Igitur non *facit* sed *faciet* scribendum.

Ep. 56, 4 (4) *Fabrum inquilinum et ferrarium vicinum.* Post fabrum, quem pro fabro ferrario unusquisque accipiet, ferrarium nominari miror, praesertim vicinum. Si recte loqui voluit Seneca, scribendum fuit: et fabrum sive inquilinum sive vicinum, quod satis putidum esset. Cum igitur in M legatur *serrarium* (quod p tuetur qui *sersarium* habet) non dubito quin haec vox, iam ab editione prima recepta, genuina sit. Serrarius quid sit quaeris? λιθοπριστής ut ex glossis scimus. Hunc vel fabro inquilino opponere potuit Seneca.

Ep. 58, 2 (1) *Puto intellegi istud verbum interisse.* Nempe a Lucilio. Itaque scribendum erat *intellegi a te.* Sed multo simplicior et aptior est scriptura codicis M *puto intellegis.* In eis quae sequuntur § 4 (2) cum M p omittant *si* ante *iussero*, vix puto retineri posse.

Ep. 58, 23 (21) *Vis tu non timere ne semel fiat, quod cotidie fit?* Mira sententia. Editiones aliquot et codices omiserunt *non* ut aliqua ex parte tolerabilior fieret, neque tamen multum profecerunt. Scribendum fuisset *times* vel *timebisne* sed non *vis tu timere.* Tum haec quaestio nimis ieiuna et debilis est; desideramus aliquod verbum pondus habens. Itaque mihi persuasum est scripsisse Senecam: *Quis furor timere ne semel fiat quod cotidie fit.*

Ep. 65, 1 (1) Breviter moneo orationis concinnitatem exigere ut pro *postmeridiano* reponamus *postmeridianum*, quod non solum in editionibus nonnullis (inde a Romana) sed etiam in codicibus est, imprimis M. Eiusdem epistulae § 10 (10) *bonitas est* M p omittunt *est* ut Senecae usus desiderat. Denique § 12 (12) *quaerimus quae sit causa* M p habent *quid*

Digitized by Google

sit quod iam Erasmus recte receperat. Nam non quaeritur quae sit causa, sed quid.

Ep. 66, 19 (18) *respondeo, plurimum interesse inter gaudium et dolorem, si quaeratur electio: alterum petam, alterum vitabo.* Quid hoc est, quaeso, electionem quaerere? Si quid est, idem significat atque agere de electione. Sed neque in sententiam hoc quadrat, neque hominem Romanum unquam ita locutum esse puto. Persuasum mihi habeo scripsisse Senecam: *plurimum interesse inter gaudium et dolorem: si quae datur electio, alterum petam, alterum vitabo.* In eis quae praecedunt codicum scripturam *dulce esse terrores et hoc etc.* egregie emendavit Ludovicus Ianus (Annalis philol. ab IChIahnio et RKlotzio 1843 editi p. 18) *dulce esse torreri. Sed hoc* etc. Postea in eandem coniecturam incidit Haasius, nisi quod *Et* pro *Sed* retinuit, neque sententiae neque litteris satis accomodatum. Hoc mendum Madvigius (Advers. II p. 483) denuo correxit.

Ep. 66, 43 (40) *mors omnium par est: per quae venit diversa sunt, id in quod desinunt, unum est.* Mire claudicat oratio. Opponuntur mors, quae venit, et homines, qui desinunt. Melius in libris PpM legitur *per quae* (*quem* p) *veniunt* (scil. homines) *diversa sunt.* Diversis et variis itineribus veniunt homines ad mortem: finis omnibus unus et idem est. In § sequenti 44 (41) *utrumque aeque bonum est, quamvis illud plana emolliverit, hoc aspera* haesito. Planane emolliuntur? Si de emolliendo, non de planis agitur sed de duris mollibusve, igitur pro *plana* scribendum esset *mollia.* At quae evaderet sententia. P Par. b et Arg. b si Fickerto credimus habent quod in editionibus legitur, M *illi plane molliverit* corruptior quam illorum lectio. Lucem nobis tandem affert p *illud plana et molli velerit.* Hunc secuti scribamus *quamvis illud plana et molli* (scil. via) *venerit* etc. Locum modo emendatum (§ 43) aperte respicit Seneca.

Ep. 67, 8 (10) *Quid interest, optes alicui an optabile fuisse fatearis?* Sic scribendum. Nam *hoc* quod ante *ali-*

Digitized by Google

cui habent editiones, in Mp non apparet; de reliquis nil constat. Certe non tantum supervacuum est *hoc* sed etiam falsum.

Ep. 71, 22 (21) *quod dicam paria bona esse adversa fortiter portantis et prospera honeste iudicantis.* Kochio (Annal. Fleckeiseni 1875 p. 719) displicuit *portantis* pro quo *patientis* substituere maluit. Sed non correctore indiget hic locus, totus enim interpolatus est. In PM Par. b desunt *adversa . . . prospera*, in Arg. b etiam plura, ita ut hoc uti non liceat. Intercidisse aliqua inter *paria bona esse* et *honeste* apparet; quid, difficile est dictu. Hoc unum spondere possumus non ea intercidisse, quae nunc interposita videmus. Quid enim esset prospera honeste iudicare? Quam inepte hoc, si quid est, opponeretur patientiae adversorum. Non ita solet Seneca loqui. Sequens enuntiatum satis clare demonstrat quale hoc fuisse debeat; ut illic opponuntur triumphans et captivus, sic hic conlatus erat reus cum iudice, reus scilicet iniuste damnatus. Talem igitur fere refingamus sententiam: paria bona esse honeste ferentis damnationem et honeste iudicantis. Etiam in § 21 (20) interpolationem agnoscere necesse est, desunt enim in PM Par. b *in convivio malum est, torqueri,* sed recte suppleta. Hoc unum dubium mihi est, num melius pro *torqueri* substituamus *iacere* ita ut et oppositio fiat aptior, et facilius intellegi possit quomodo intercidering haec verba, librarii oculis a priore ad posterius *iacere* delatis. Tertia interpolatio inest § 17 (16) eoque foedior quod non a librario indocto commissa est. *Et quae subita res tulit.* Subitam rem ego non intellego, non magis quam quomodo opponi possint quae sumenda sunt et quae res tulit. In omnibus codicibus PM Par. b Arg. b — p in fine mutilus — pro *subita* legitur *si ita.* Quo quid aptius excogitari posset? Et tamen ab editoribus novissimis spernitur.

Ep. 71, 23 (22) *delicatis miseria est industria.* Mire hoc loco discrepant codices. P *delicaī miseretus industri.* M_1

Digitized by Google

delicato miseritus industri. M_2 *delicato industria* deleta voce *miseritus* Par. b *dilicatus miseritus industri.* Editores rectum inde eruerunt sensum, sed miram simul induxerunt inconstantiam orationis: luxurioso, pigro, delicatis, desidioso. Certe *delicato* scribendum est, cui non officit P, assentitur M.

Ep. 72, 5 (6) *incommodo afflatur maximus is: illud bonum etc.* Madvigius (Adversar. II p. 486) cum *maximus is* nihili esse videret proposuit *maximi usus illud bonum*, spreta lectione codicis κ *maximum illud bonum* quod 'vix inde oriri potuit, quod in ceteris codicibus est'. Ego quomodo ortum sit vitium non valde curo, contentus lectionem *maximum* Madvigio satisfacere ad sententiam, nam codicum auctoritate non eget, cum legatur in M.

Ep. 74, 4 (4) Rem minusculam attingam, non *disiecit* scribendum esse, sed *deiecit* ut est in M. De singulis enim hominibus agitur, quos disici difficile.

Ep. 75, 1 (1) In Senecae ipsius potestate est, utrum epistulae suae habiturae sint aliquid accersiti et ficti an non. Inepte igitur coniunctivo modo uteretur. Itaque non scribemus *quae nihil habeant* sed *habent* ut est in codicibus PM Par. b Arg. b all.

Ep. 75, 17 (13) *Sciemus mortem malum non esse, deos malos non esse.* Quis unquam putavit deos malos esse, quis homo Romanus, nedum Stoicus? Prorsus inepta est haec lectio. Adde quod in PM non *malos* legitur sed *maio* quod in M alia manus, sed aeque vetus in *malos* correxit adiecta in margine lectione *maiores.* Hanc veram esse existimo, praesertim cum etiam in Arg. b fuerit, et nulla aptior sit et sententiae et litteris traditis.

Ep. 76, 8 (5) *Vitem fertilitas commendat et sapor vinum, velocitas cervum.* Vnumquemque qui haec legit puto moleste ferre ordinem verborum. Duabus partibus constat enuntiatum, quarum prior inversione satis mira insignis est, cum altera ieiuna et praeter iustum videatur simplex. Tunc miror

Digitized by Google

vinum inter animalia vel potius animantia referri. Amplector igitur lectionem codicum PM Arg. b, quam etiam Schweighaeuserus receperat: *et sapor vini.*

Ep. 76, 31 (24) *Magnus non est pumilio.* Omissum est *non est* in P Par. b Arg. b, in uno M apparet, sed ante *magnus.* Sic igitur scribendum est.

Ep. 77, 10 (9) *vitae elapsus est.* Sententiae et usui aptius est *vita elapsus* est, quod P (*vitae lapsus*) M habent, et editiones nonnullae (inde a Romana) receperunt.

Ep. 77, 17 (15) in codicibus PM Par. b sic legitur: *Quid est aliud quod tibi eripi doleas? Amicus esse patriam. Tanti enim* (*in* add. P) *illam putas, ut tardius cenes. Solem quem si posses exstingueres.* In M manus eiusdem quidem aetatis, sed a librario diversa pro *amicus esse, amicos et* scripsit. In Arg. b infuisse dicitur *amicos vel*, interpolatio manifesta. Ex codicum scriptura prorsus egregie Madvigius collegit multa intercidisse, et sic legendum esse: [*Amicos? quis enim tibi potest*] *amicus esse? Patriam? tanti enim etc.* Eundem autem modum obiurgationis etiam in reliquis restituamus oportet, et scribamus: *solem? quem si posses exstingueres.* Scilicet ut nocturnis conviviis omne tempus terere possit. In § 16 (14) me offendit illud *saccus es.* Permire homo saccus dicitur, vesica est. Igitur libros PM Par. b secuti scribamus *saccus est.* Hanc locutionem in usu fuisse apud Romanos docet Lucretius IV 1028.

Ep. 78, 11 (10) *Inde quibus fuit aviditas odium est.* Neminem spero dubitaturum, quin recte Madvigius (Advers. II, p. 489) pro *quibus* scripserit *cuius*, eo minus quod in PM post *aviditas* adiectum est *cibi.* Quod in textum recipiendum esse puto.

Ep. 78, 29 (25) *Quicquid exspectatum est diu levius accedit.* Quomodo aliquid leviter accedere possit, nescio; leviter premere potest. Leni igitur usi medicina scribemus *lenius.* In eadem paragrapho mendum latet, coniectura egregia olim sanatum. *Hoc tene, hoc morde.* Belle dictum

Digitized by Google

praecepta mordere. Adiciendum fuit: manduca et devora et concoque, ut penitus inhaereant tibi. Et haec ferimus? Mureti ingenio sanam sententiam debemus: *Hoc tene mordicus.*

Ep. 79, 1 (1) *Expecto epistulas tuas, quibus mihi indices circuitus* (sic in PM Par. b Arg. b — *mihi indices* M Par. b; de P tacet Chatelain, de Arg. b non liquet) *Siciliae totius quid tibi novi ostenderit, et omnia de ipsa Charybdi certiora.* Vellem interpretaretur aliquis, quid sit *omnia de Charybdi certiora.* Aut Seneca balbutivit aut nihili est. Scribe *ante omnia* et omnia sana sunt.

Ep. 79, 4 (4) *Morbo enim tuo daturus eras, etiam si nemo mandaret. Quid tibi do ne Aetnam describas in tuo carmine?* Sic hunc locum optime emendavit Rubenius, Gronovio et Madvigio (Advers. II p. 489) assentientibus. Post tantos auctores vix opus est plura proferre, sed puto gratum erit omnibus Rubenii emendationem videre stabilitam lectione codicis M: *etiamsi nemo quid mandaret tibi donea etnam describat in tuo carmine.* Nisi quod *quid* falso ante *mandaret* legitur ut in omnibus codicibus, et *describat* pro *describas* (P *describar*), Rubenii habes lectionem.

Ep. 79, 10 (9) *Sic huius ut coelestium statuta magnitudo est.* Nescio cur codicum lectionem mutaverint editores; in PM Par. b legitur *stata* quod loco tam aptum est, ut ab eo recedere nolim. In sequentibus apparet legendum esse *iam multum operis effectum est*, ut et codices nonnulli habent et editiones, quamquam in PM Par. b *effecti* sit.

Ep. 83, 4 (4) *Cito magnum intervallum fit inter duos itinere diverso euntes.* Hoc praefracte nego. Cito fit, si in eadem via eunt, sed in diversum. Hoc infuisse debet huic loco, et re vera infuit. P Par. b habent *inter duos inter diversos*, corruptum ut apparet, prave repetito *inter.* De Arg. b nihil tradit Fickertus; confugiendum igitur ad M qui rectum nobis subministrat: *inter duos in diversum euntes.* Paullo antea legimus *crisim*, quod cum PM in *crisin* muto.

Digitized by Google

Vbique fere videtur Seneca formas Graecanicas adhibuisse, ut e. gr. *Socraten* saepissime invenies in codicibus melioris notae.

Ep. 83, 7 (6) *Nec cogitationem excutiunt meam nec interrumpunt. fremitum quidem patientissime fero.* Contra PM Par. b sic scribitur, hi enim habent: *ne* (vel *nec*) *interrumpunt quidem. fremitum etc.* Quos cur non sequamur causam nullam video. Editiones inde a prima hoc exhibuere nisi quod *nec* pro *ne* posuerunt.

Ep. 83, 26 (24) *Nam cum saepe apud se non sint, consuetudine insaniae duratâ vitia e vino concepta etiam sine illo valent.* Bene nobis consuluit Haasius quod apice addito nos docuit quemadmodum *duratâ* accipi vellet. Sed hoc *durata* quam durum sit neminem fugiet. Codices PM Par. b Arg. b habent *consuetudo insaniae durata* unde efficitur *consuetudo insaniae durat et vitia e vino concepta sine illo valent.* Similia iam in codicibus nonnullis leguntur.

Ep. 84, 1 (1) *a lectionibus non recessi.* Codices omittunt *non*, et recte. Inter se opponuntur lectio et studium, a lectionibus se recessisse dicit Seneca, hoc profuit studiis.

Ep. 85, 6 (6). Mire nuper accidit Madvigio (Advers. II p. 493) cum hunc locum tractaret, ut mala Fickerti collatione codicis P deceptus interpolata esse aliqua recte quidem adgnosceret, sed genuina ipsa pro falsis resecaret. Sic enim perscripsit locum: *praesertim cum illi non unum affectum, sed universum affectuum coetum des, cum quo colluctetur.* Sic autem in PM Par. b legitur: *praesertim cum illi non unum affectum sed cum quo conluctetur sed omnes.* Pro *sed* scribe *des* et totus locus sanus est, ut eum iam Gruterus constituit, in hoc uno falsus quod *des* ante *affectum* posuit. In initio huius epistulae § 3 (2) *Peripateticorum quidam* scribitur, cum in PM Par. b sit *Peripatetici quidam* simplicius et aptius.

Ep. 86, 18 (17) Radices cereae Iano displicuere (Annal. philol. 1843 p. 22), igitur *teretes* proposuit, quod vereor ut multis placeat. *Cereas* in recentibus tantum et interpolatis

Digitized by Google

codicibus est, veteres praebent *caeteras* vel *ceteras*. Recte inde effecit Erasmus *teneras*. In antecedentibus spissationem habemus, nescio ex cuius ingenio. In P est *positione*, in Par. b *pissanone*, in M *pisatione*. Quorum quid eligas vide. Mihi *pisatione* placet, unde et *positione* et *pissanone* (ex *pissatione*) natum est. *Positione* non verum esse puto quod vocabulum plus significans et non volgare exspectamus.

Ep. 87, 4 (4) *Vix a me obtineo, ut hoc vehiculum velim videri meum.* Miror quod Seneca vehiculum suum videri vult; hoc esset paupertate sua gloriari. In codicibus non *velim* sed *nolim* est, quod retinendum esse duco, si modo pro *ut* posuerimus *ne*. Eiusdem ep. § 27 (23) *illic lucrum sine sacrilegio facere non possum.* Vt bene procedat oratio *hic lucrum* scribendum est, ut est in M. Ex Pinciani coniectura sic recte scribebant editores inde a Curione.

Ep. 88, 11 (10) *at ego doceri volo.* In P est *dicere*, in M Par. b *discere*, et sic scribendum est. Tum § 25 (21) *cibus adiutorium corporis est, non tamen pars est.* PM pro *est non* habent *nec*, ut legendum esse mihi videtur. Codicis Par. b lectio *non* omisso *est* monstrat, quemadmodum nata sit interpolatio.

Ep. 88, 39 (33) *Aristarchi ineptias, quibus aliena carmina conpinxit.* Licet Seneca severe de grammaticis iudicet, hoc iniustius est. Et quam inepte diceretur Aristarchus compinxisse libros. Codices inspiciamus. Par. b *Aristarchii neptas q. a. c. conpunxit* quae lectio docet nos, veterem esse interpolationem; sed aliquid veri servavit: *conpunxit.* In P haec pars epistulae folio toto avolso non legitur. M rectum nobis praebet: *Aristarchi notas quibus a. c. conpunxit.* Hoc iam inde ab Erasmo edebatur, recentiores lectionem veram spreverunt.

Mire mihi evenit ut hic locus mihi sit postremus, quo Seneca sat acerbe nostram artem castigat. Quamquam igitur hunc mihi gratum fingere non possum, tamen mihi ali-

Digitized by Google

quid fecisse videor si aliquatenus situm sordesque quibus huius scriptoris libri deformantur detersi. Saepissime quae a viris doctis occupata fuerunt ante multa saecula, nunc tamquam nova proferre debui, cum editores novissimi tot emendationes optimas abiecerint sine ulla ratione immo contra omnem, tot autem interpolationes et librariorum et grammaticorum mordicus teneant.

Digitized by Google

IN CHOEPHOROS FABVLAM AESCHYLEAM OBSERVATIONES

SCRIPSIT

HENRICVS WOLF

In Aeschyli fabulis, ut H. Weilius ad Choeph. v. 295 adnotavit, 'lacunae multae sunt, interpolationes paucissimae, neque fere ullum habemus scriptorem veterem hoc corruptelae genere minus infectum.' Mihi cum contraria stet sententia, conprobare eam hoc loco studebo speciminibus non nullis interpolationis ut mihi quidem videtur certis ex Choephoris fabula depromptis.

Versus 108 Electrae ad chorum

λέγοις ἄν, ὥσπερ ᾐδέσω τάφον πατρός

defendi nequit. Nam neque talia in Persarum locis similibus inveniuntur et inepte hoc loco, postquam adhortanti Electrae λέγοις ἂν verbis λέξω . . . τὸν ἐκ φρενὸς λόγον chorus concessit, iterum Electra illud λέγοις ἂν choro commendat. Maxime ea de causa in hoc versu offendo, quod plane nihil novi in eo inest; nam verba ὥσπερ ᾐδέσω τάφον πατρός pessime et inutiliter chori sententiam αἰδουμένη τύμβον πατρός repetunt. Praeterea verbum ᾐδέσω male dictum est: ceteri scriptores praeter Demosthenem omnes ex aoristi medii formis αἴδεσαι tantum usurpant, ceteras formas ex passivi aoristo declinant: αἴδεσσαι Hom. Il. I 640 hymn. Cer. 64, passivum Hom. Δ 402 Her. VII 141 Aesch. Ag. 937 Choeph. 899 Soph. Oed. T. 647.

Digitized by Google

Versus 233 sq.

ἔνδον γενοῦ, χαρᾷ δὲ μὴ 'κπλαγῇς φρένας·
τοὺς φιλτάτους γὰρ οἶδα νῷν ὄντας πικρούς

qui ubi leguntur, minime habent quo pertineant, spurios esse facile intellegitur. Neque enim quod Orestes sororem adhortatur ut gaudium contineat, id in praecedentes versus 225—232 ullo modo quadrat, praesertim cum nondum aut Electra quidquam responderit aut Orestes se ab Electra adgnosci sciat; praeterea hi versus sine ulla coniunctione praecedentibus adiunguntur. Weilius quod versus 233—237 post versum 243 transposuit, nihil profecit: nullo enim huius fabulae loco hi versus apte dicuntur. Nam ipse Orestes, cui haec verba adtribuuntur, nostra in fabula liberius atque apertius loquitur quam soror. In Sophoclis Electra, ubi Orestes inde a versu 1259 identidem ab Electra petit ne gaudio nimio efferatur, talis sententia optime diceretur. Apud Aeschylum chorus versibus 264 sqq. et Orestem et Electram adhortatur ut conticescant. Accedit quod verba ἔνδον γενοῦ nisi addito genetivo φρενῶν, ut est apud Euripidem Heraclid. 709, aut σεαυτῆς (cf. Antipho or. V 45 Herodotus I 119, 4. VII 47, 2) non possunt ad coercendos animi affectus trahi: nunc 'abi domum' significant, cum tamen Electra usque ad versum 584 in scaena maneat.

Iam versus 235—237 et 244. 245 a Weilio falso choro attributos esse, primum ex ipsis verbis versuum 235 et 237 intellegimus (δώμασιν πατρός et δῶμα πατρός). Deinde id repugnare mihi videtur, quod chorus si hoc loco ipse laetitia exsultasset, versibus 264 sqq. Orestem Electramque ita adhortari non potuit, ut conticescerent. At versus 237

ἀλκῇ πεποιθὼς δῶμ' ἀνακτήσει πατρός

interpolatus esse mihi videtur, primum quod in versibus 235 et 237 eadem verba δῶμα πατρός adhibentur; deinde quod Electram eo sententiarum ordine Orestem appellare non est consentaneum, ut blandas adlocutiones etiam v. 238 sqq. continuatas interposito enuntiato, quo spem modo indicativo

Digitized by Google

indicat, interrumpat; denique quod appellationi gravissimae δακρυτὸς ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου hic versus ut explicatio eaque otiosa subiungitur. Neque vero versus 235—237, ut Rossbachius et Weilius voluerunt, una cum versibus 233. 234 post versum 243 traici possunt, quia versus 246 sqq. ad calamitates stirpis, quas Electra versibus 238—243 tetigit, pertinent neque ab his seiungi possunt interpositis diversis. Praeterea versus 251 et 262 inepte dicerentur, si eadem iam hoc loco sententia, ut fit v. 237, enuntiata esset. Itaque Electrae verba haec fuisse puto:

ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρός,
δακρυτὸς ἐλπὶς σπέρματος σωτηρίου,
ὦ τερπνὸν ὄμμα, τέσσαρας μοίρας ἔχον κτλ.

Versus 245—263 pessime mihi quidem videntur Hermannus et Weilius inter Orestem et Electram distribuisse. Quod enim ita Electra graviora et audaciora profert quam Orestes, non quadrat in Aeschyleam fabulam, ubi Electra Oresti cedit. Ac miris ambagibus Orestes hoc loco indicat, quid a Iove petat. Contendas velim inter se v. 247: ἰδοῦ δὲ γένναν εὖνιν ἀετοῦ πατρός, v. 249: τοὺς ἀπωρφανισμένους, v. 253: πατροστερῆ γόνον; deinde v. 256: πατρὸς νεοσσοὺς τούσδ' ἀποφθείρας, v. 258: οὔτ' ἀετοῦ γένεθλ' ἀποφθείρας, v. 260: πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμήν. Sed contemplemur singula. Versus igitur 246—251 optime dicti sunt, cum Aeschylus, qui Orestem Electramque cum aquilae pullis comparat, in eadem sibi imagine constet; sed in versu 250 cum Pavone pluralem numerum ἐντελεῖς scribam, qui ad verba τούσδ' ἀπωρφανισμένους pertineat. Qui sequuntur versus 252—254 interpolatos esse puto: neque enim his tribus versibus quicquam aliud dicitur quam in praecedentibus, atque ut v. 247 ἰδοῦ dictum est, ita hoc loco ἰδεῖν πάρεστί σοι. Additos postea hos versus puto esse, quo melius antecedentia intellegerentur ubi Orestes se Electramque cum aquilae pullis conparat. Defendi ei etiam hac de causa nequeunt, quod similitudinis illius interpretationem, quantum satis erat, poeta

Digitized by Google

ipse verbis πατρὸς νεοσσοὺς τούσδε v. 256 indicavit. Etiam versus 258—261 secludendos esse existimo. Qui primum id tantum fusius et amplius explicant quod in versibus 255—257 inest. Atque versus 258 sq. si contemplamur, et eo offendimur, quod hoc loco eadem quae v. 256. 257 verba adhibentur ἕξεις — ἔχοις ἄν, ἀποφθείρας — ἀποφθείρας, quod verbum praeter hunc locum ab Aeschylo non usurpatum est; et id quoque mirum est, quod v. 258 Agamemno iterum cum aquila comparatur, ut v. 247 sqq. Praeterea v. 258 legitima caesura caret. Deinde post plenam et absolutam sententiam v. 256 sq. haec quae nunc adiciuntur, addi sine coniunctione non potuerunt: οὔτε coniunctio non ad antecedentia sed ad οὔτε v. 260 refertur. Accedit quod v. 260 ineptissime compositus est: interpolator dicturus erat πυθμένος τοῦδε αὐανθέντος οὐδεὶς κτλ. Neque puto verbum ἀρήγειν idem posse significare quod verbum ἐπιμελεῖσθαι. Aeschylus igitur Orestis preces undecim versibus his 246—251. 255—7. 262 sq. voluit contineri.

Digitized by Google

DE ANTISTHENIS LOGICA

SCRIPSIT

FERDINANDVS DVEMMLER

Parum recte de Cynicis iudicant qui eos in severis rigidae virtutis exercitationibus solis versatos subtilioris eruditionis cultum tanquam fastus alimentum adeo repudiasse ut nisi ethicam nullam attingerent philosophiae regionem arbitrantur. Is certe qui et Cynicorum et Stoicorum idem princeps habetur, Antisthenes quamvis inutilis et vanae sapientiae quae non ad virtutem augendam spectaret acerbissimus vituperator, ipse tamen et in omni disciplinarum genere studiosissime elaboravit et omnes philosophiae partes libris copiosissime illustravit. Ac plurimum ille studii logicae adhibuit: cuius doctrinae ex sententiis ipsius ab Aristotele metaph. H 3 p. 1043 ^{b} 24 et Δ 29 p. 1024 ^{b} 32 relatis haec fere emergunt lineamenta.

Res non quae sint sed solum quales sint definiri possunt. Est enim unius tantum rerum generis definitio et λόγος, rerum conpositarum; eaque definitio est enumeratio partium (τὰ μὲν σύνθετα ἐπεξερχόμεθα καὶ οἱονεὶ ἀριθμοῦμεν πόσα τινὰ τυγχάνει Alexander ad met. p. 523, 20 Bon.). Neque enim potest quidquam de ulla re praedicari nisi ipsius propria significatio (ὁ οἰκεῖος λόγος). Rerum autem simplicium propria significatio nomen ipsum est, rerum compositarum omnia ea conplectitur, quibus illae constant: quibus enumeratis nascitur longa significatio (μακρὸς λόγος), quae est definitio. Consequitur ut de rebus simplicibus nequeant enuntiata formari nisi

Digitized by Google

in quibus sit subiectum et praedicatum idem, (quae nos dicimus iudicia identica), de rebus conpositis nulla, quorum praedicatum non subiecto contineatur (quae nos dicimus iudicia analytica). Sequitur porro nec posse contradici nec falsa praedicari. Si enim alter contradiceret alteri, oporteret diversam utrumque eidem rei tribuere significationem, quod fieri nequit; neque magis fieri potest ut falsa, non propria rei tribuatur significatio.

Eadem haec Antisthenis paradoxa perstringunt Plato in Euthydemo p. 285 d — 287 a et in Sophista p. 251 b et Isocrates initio Helenae Antisthenis nomine non adiecto. Aristoteles cum saepe aliorum sententias suae ipsius philosophiae vocabulis referat, dubium esse potest, quam accurate quae in scriptis Antisthenis legerit proferat. Quod ut recte possimus discernere, copiam nobis suppeditant quae a Platone sub Theaeteti dialogi finem disseruntur.

Tertia et ultima cognitionis definitio profertur a Theaeteto p. 201 c τὴν μετὰ λόγου ἀληθῆ δόξαν ἐπιστήμην εἶναι. Socrates deinde, qui et ipse eiusmodi doctrinam se percepisse quasi cuiusdam somnii meminit, explicat primum qua ratione ad hanc definitionem perventum sit, deinde eam ex ipsius fundamentis refutat, postremo loco fundamentis non respectis quibus modis possit percipi examinat. Summa eius doctrinae haec est. Scientia est vera opinio cum oratione (h. e. quae oratione explicatur explicarique potest: μετὰ λόγου ἀληθὴς δόξα): qua quodcumque caret, extra cognitionem positum est. Prima rerum elementa (στοιχεῖα) λόγον non habent, ut nominare tantummodo ea liceat, praedicare quidquam de eis non liceat, ne id quidem, esse aut non esse. Quaecunque enim praedicantur de rebus, a rebus ipsis diversa sunt. Itaque si possemus res ipsas significare et haberent suum et proprium λόγον, oporteret eas significare alienis non adhibitis: qualis significatio elementorum, quae λόγῳ carent, non extat praeter ipsa nomina. Rerum conpositarum est nominum conplexio quae est oratio (λόγος). Elementa, cum λόγον non habe-

Digitized by Google

ant, incomprehensibilia (ἄγνωστα) sunt sed sensibilia (αἰσθητά): illae tantum complexiones (συλλαβαί) sunt comprensibiles dicibiles et recta opinione opinabiles. Si quis sine λόγῳ perceperit veram opinionem, ἀληθεύει, non scit, cum id ipsum sit scire posse δοῦναί τε καὶ δέξασθαι λόγον.

Quae cum ad singula cum Aristotele concinant, dubium esse nequit, quin recte Schleiermacherus suspicatus sit etiam hoc loco respici Antisthenem. Quare cum et parce exiliterque Aristoteles de Antisthene referat et licentius videatur Antistheneis sua miscere[1]), ut genuinam Antisthenis doctrinam exploremus a Platonis loco proficiscemur. Ac primum quidem λόγος quid sit, Theaeteti p. 202[b] sic definitur: ὀνομάτων γὰρ συμπλοκὴν εἶναι λόγου οὐσίαν. Non agnovisse Antisthenem definiendi aliam praeter λόγον rationem testis est Laertius Diogenes VI 3 πρῶτος διωρίσατο λόγον εἰπών· λόγος ἐστὶν ὁ τὸ τί ἦν ἢ ἔστι δηλῶν. Quare cum λόγῳ vera rerum natura dicatur patefieri iure miramur, λόγον nihil esse dici nisi nominum conplexionem. Exemplum profertur paulo inferius p. 203[a] λόγος syllabae Σω qui est σῖγμα καὶ ὦ, et post cum omnes quae possint cogitari λόγου notiones percensentur, una tantummodo apposita est ad Anistheneam illam quam continua oratione explicuerat Socrates doctrinam: τὸ ἐρωτηθέντα τί ἕκαστον δυνατὸν εἶναι τὴν ἀπόκρισιν διὰ τῶν στοιχείων ἀποδοῦναι τῷ ἐρομένῳ (p. 206[c]) sive ut paulo infra dicitur διὰ στοιχείου ὁδὸς ἐπὶ τὸ ὅλον (p. 208[c] cf. 207[c]). Haec autem λόγου definitio, ut sit nominum conpositio qua sola rerum natura indicetur, cum ipsa grammatici potius sit quam philosophi, in fines etiam angustiores redigitur alio illo Antisthenis placito, quo aliena subiecto tribui praedicata vetatur. Vnde consequitur rerum simplicium λόγον non esse neque ullam praeter ipsum nomen

---

[1]) Sic ab Antisthene profecto aliena est distinctio inter materiam et formam ab Aristotele et Alexandro facta.

Digitized by Google

definitionem, itaque non esse conprehensibilia; simplices autem res eae sunt quarum est nomen simplex. Rerum conpositarum, quippe quarum nomina sint conposita, est definitio: enumeratio nominis partium, sicut syllabae Σω est λόγος enumeratio litterarum sigma et omega.

Vel ex illa λόγου definitione apparet Antisthenem statuisse linguae structuram respondere vel in minutissimis quibusque naturae rerum. Idem intellegitur spectatis reliquis quibus utitur artis vocabulis, quae omnia ab arte grammatica tralata esse manifestum est. Rerum enim conplexiones, quae alii philosophi συνθέσεις συμπλοκὰς συγκρίματα dixerunt, Antisthenes ad litterarum conprehensarum similitudinem συλλαβάς appellat. Neque hoc verisimile est στοιχεῖα vocem rerum prius quam litteraturae elementa significasse. Is enim qui primus corporum elementa in philosophiam induxit Empedocles non στοιχεῖα ea dicebat sed ῥιζώματα. Nova illa significatio ad Platonem refertur auctorem ab Eudemo Simplicii in Ar. phys. f. 2[r] inf. et Laertio Diog. III 24: Theaeteti loco docemur e logica Antisthenis disciplina grammaticae simillima eum verbi usum a Platone receptum esse. Nam id quod vel ex ipsis vocabulis colligere licet, Antistheni rerum cognitionem ad artis grammaticae exemplar revocatum esse, ipsius Platonis testimonio ultro comprobatur p. 202[e] ὥσπερ γὰρ ὁμήρους ἔχομεν τοῦ λόγου τὰ παραδείγματα, οἷς χρώμενος εἶπε πάντα ταῦτα. ΘΕΑΙ. Ποῖα δή; ΣΩ. Τὰ τῶν γραμμάτων στοιχεῖά τε καὶ συλλαβάς. ἢ οἴει ἄλλοσέ ποι βλέποντα ταῦτα εἰπεῖν τὸν εἰπόντα ἃ λέγομεν; ΘΕΑΙ. Οὔκ, ἀλλ' εἰς ταῦτα.

Quodsi a linguae contemplatione proficiscendum in rerum cognitione Antisthenes statuebat, putasse illum necesse est veritatis normam innatam esse linguae et res item ac nomina ex eodem fonte manasse. Non potest ille cum sophistis et Democrito sensisse, qui non existere nomina nisi arbitrario hominum instituto et inpositione fortuita arbitrabantur.

Iam vero hanc Antisthenis sententiam, quam ex Theae-

Digitized by Google

teti loco adsecuti sumus, Plato Cratylo et explicat et refutat. Primum Hermogenis sententia qui facta nomina et fortuita censebat breviter refellitur; explicatur deinde naturalis nominum origo et vis veritatis prodendae, quam eis Cratylus inesse affirmaverat; postremo ea refutatur. E media dialogi parte oportet restitui eam doctrinam quam Plato impugnat. Eius summa haec est. Nominibus inest naturalis quaedam veritas, ut et sint natura et exprimant rerum naturam. Pleraque illa sunt conposita, quae solvi redigique ad primitiva quaedam nomina possint. Primitiva haec in principalibus philosophiae Heracliteae notionibus versantur, quam rectam veramque esse oportet, quando quidem nomina sunt natura recta. Nominum autem veritatis cognitio non solum optima sed sola est rerum cognoscendarum ratio. Sed de primitivorum nominum veritate si quis quaerat, oportet eum etiam elementa illorum litteras examinare, num quam cum rerum natura similitudinem referant. Difficile negotium. Quod si quis evitaturus illa aut barbarae originis esse dicat aut nimia vetustate adeo deformata ut cognosci iam nequeant, nugari ille quaerentesque frustrari dicitur. Tum Socrates naturalem quandam similitudinem litterarum et rerum studet investigare, ita tamen ut audacia se proferre et parum certa optime sibi conscius sit.

Ipsius Cratyli doctrinam hoc dialogo explanari nil est quod suadeat. Is enim secundum Aristotelem met. Γ 5 p. 1010[a] 10—15 adeo Heracliteus erat, ut stabilior recto ei praeceptoris philosophia videretur: τὸ τελευταῖον οὐθὲν ᾤετο δεῖν λέγειν ἀλλὰ τὸν δάκτυλον ἐκίνει μόνον. Quomodo igitur Cratylus potuit affirmare nominibus rerum naturam prodi, cum ne imponere quidem rebus nomina auderet? Praeterea multo vetustior erat Cratylus Platone, cuius eum magistrum fuisse, priusquam se ad Socratis disciplinam applicaret, testatur Aristoteles met. A 6 in. alii. Quare cum Plato eiusmodi dialogi scribendi consilium cepisse nisi ab adversariis lacessitus vix existimari possit, Cratylum ipsum exprimi extra omnem est probabilitatem. Recte igitur viri docti omnes

Digitized by Google

in aequalem quendam Platonis dialogum scriptum esse statuerunt. Et dudum quidem Schleiermacherus etiam hoc dialogo infestissimum Platonis adversarium Antisthenem carpi recte suspicatus est, probaveruntque Hermannus de Plat. p. 496. 657. 479 Winckelmannus Fr. Ant. p. 48 Vsenerus Quaest. Anax. p. 13 Reinhardtus de Isocratis aemulis p. 27. Quae sententia quominus pervulgaretur, obstitit Classeni dubitatio, de qua post disserendum erit.

Primum Schleiermachero est argumentum, quod manifestum sit Cratyli p. 429[d], ubi falsa posse praedicari a Cratylo negatur, respici Antisthenem. Satis enim constat Aristotelis testimonio hanc opinionem Antisthenis fuisse, cuius si Plato originem in Euthydemo p. 285[c] (unde hausit Diogenes IX 53) ducit a Protagora adductus est temporum ratione, cum Socrati non bene potuerit Antisthenis mentionem tribuere. Iam quod hoc uno Cratyli loco vellicatur Antisthenes, non necessario consequitur eundem in etymis tale studium conlocasse, quale Socrates exercet, Cratylus probat. Hoc ut evinceret, sagacissime Schleiermacherus Stoicorum ineptias Cratyleis simillimas advocavit. Atque cum constet multa Stoicos e Cynicorum philosophia assumpsisse, ubicunque Stoicorum placita cum Platone singillatim concinunt, et Platonem et Stoicos Antisthenea referre iure statuemus. Namque eos ab ipso Platone serio accipere quae ille deridet non est credibile, cum praesertim ante Panaetii studia Platonem Stoici lectitasse non videantur.

Breviter igitur constituendum videtur quid de linguae natura et utilitate Stoici senserint. Et primum quidem Stoicos naturalem linguae originem statuisse testatur Origenes contra Celsum I 24 p. 18 H. λόγος βαθὺς καὶ ἀπόρρητος ὁ περὶ φύσεως ὀνομάτων, πότερον ὡς οἴεται Ἀριστοτέλης θέσει ἐστὶ τὰ ὀνόματα, ἢ ὡς νομίζουσιν οἱ ἀπὸ στοᾶς φύσει, μιμουμένων τῶν πρώτων φωνῶν τὰ πράγματα καθ' ὧν τὰ ὀνόματα, καθὸ καὶ στοιχεῖά τινα ἐτυμολογίας εἰσάγουσιν. Quomodo Stoici naturali nominum veritate usi vel

Digitized by Google

potius abusi sint ad verborum origines explorandas, luculenter ostendit fragmentum Varronis ex tertio libro de lingua latina quod servavit Augustinus de dial. c. 6 [1]). Negabant Stoici ullum esse verbum cuius explicari origo non posset. Tamdiu dirimenda esse verba, donec res cum sono verbi aliqua similitudine concineret. Atque eum concentum in vocabulis animantium voces significantibus saepissime observari. Quae non sonarent res ita denominatas esse ut quomodo res sensus ita nomen aures afficeret: ‘mel quam suaviter gustum res ipsa, tam leniter nomine tangit auditum’. Ab illis verborum quasi cunabulis reliqua nomina secundum rerum mutuam similitudinem esse derivata; porro nominatas esse res a vicinitate, cuius permulta distinguunt genera; postremo loco etiam a contrario quaedam res denominatae esse dicuntur. Sed ultra illa verborum cunabula progredi posse neminem: ‘vis quare sic appellatur, requiret; reddetur ratio, quod robusto et quasi valido sono verbum rei quam significat congruit; ultra quod requirat non habet’ (p. 149, 18 W.).

Iam non dubium videtur quin omnis quae a Platone Cratylo tribuitur doctrina fuerit Antisthenis, cum eadem ratio quae in Cratylo observatur postuletur ea Theaeteti parte qua Antisthenea referri cognovimus eademque a Stoicis Antisthenis asseclis diligentissime sit culta. Neque enim solum rationes Stoicorum cum Cratyleis concinunt, sed etiam singula etyma permulta. In his maxime videre licet non iniuste a Platone nec nimiam describi Antisthenis absurditatem. Quod ut perspiciatur, cum Platonis etymis Stoica nonnulla conponemus.

Crat. p. 396 [a] ἀτεχνῶς γάρ ἐστιν οἷον λόγος τὸ τοῦ Διὸς ὄνομα· διελόντες δὲ αὐτὸ διχῇ οἱ μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει, οἱ δὲ τῷ ἑτέρῳ χρώμεθα. οἱ μὲν γὰρ Ζῆνα οἱ δὲ Δία καλοῦσι. . . . συμβαίνει οὖν ὀρθῶς ὀνομάζεσθαι οὗτος ὁ θεὸς εἶναι, δι' ὃν ζῆν

[1]) Emendatius edidit A. Wilmanns, de Terenti Varronis libris grammaticis p. 145 sq.

Digitized by Google

ἀεὶ πᾶσι τοῖς ζῶσιν ὑπάρχει. cf. Diog. VII 147 Δία μὲν γάρ φασι (sc. Stoici) δι' ὃν τὰ πάντα, Ζῆνα δὲ καλοῦσι παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστιν. Cornutus c. 2 καλεῖται Ζεὺς (ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ) πρώτως καὶ διὰ παντὸς ζῶσα καὶ αἰτία οὖσα τοῖς ζῶσι τοῦ ζῆν . . . . , Δία δὲ αὐτὸν καλοῦμεν ὅτι δι' αὐτὸν γίνεται καὶ σῴζεται τὰ πάντα. Lydus de mens. IV 48 p. 83, 4 B. Κράτης δὲ [p. 71, 10 Wachsm.] ἀπὸ τοῦ διαίνειν τουτέστι πιαίνειν τὴν γῆν βούλεται ὀνομασθῆναι τὸν Δία τὸν εἰς πάντα διήκοντα. Ποσειδώνιος τὸν Δία τὸν πάντα διοικοῦντα· Χρύσιππος δὲ διὰ τὸ δι' αὐτὸν εἶναι τὰ πάντα. Neque aliter scriptor Stoicus de mundo c. 7 p. 400[b] 13 καλοῦμεν δὲ αὐτὸν καὶ Ζῆνα καὶ Δία παραλλήλοις χρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν, ὡς ἂν εἰ λέγοιμεν δι' ὃν ζῶμεν. Cf. Heraclitus alleg. Hom. 23 p. 49 Mehleri, al.

Crat. p. 402[b] ubi de Saturni et Rheae nominibus disputatur Socrates interrogat: Ἆρα οἴει ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου αὐτὸν ἀμφοτέροις ῥευμάτων ὀνόματα θέσθαι; cf. Corn. c. 2 Ῥέαν δὲ τὴν γῆν ἥτις πάντα ῥέει [sic] τὰ ὑλικὰ ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. Etym. M. p. 701 Χρύσιππος δὲ λέγει Ῥέαν κεκλῆσθαι, ἐπειδὴ ἀπ' αὐτῆς ῥεῖ τὰ ὕδατα. cf. etiam schol. Hom. O 19 Eustath. p. 978, 44 Heraclit. alleg. Hom. 41 p. 87 M. schol. Hes. theog. 459.

Crat. p. 404[c] Ἴσως δὲ μετεωρολογῶν ὁ νομοθέτης τὸν ἀέρα Ἥραν ὠνόμασεν ἐπικρυπτόμενος, θεὶς τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὴν τελευτήν. cf. Corn. c. 3 γυνὴ δὲ καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ παραδέδοται ἡ Ἥρα, ἥτις ἐστὶν ὁ ἀήρ et Diog. VII 147. — Etymon nominis Ἅιδου ἀπὸ τοῦ ἀειδοῦς repudiatum in Cratylo acceptum erat Stoicis, ut Cornutus c. 35 docet: Ἅιδην, ὡς ἔφην, διὰ τὸ ἀειδὲς προσηγόρευσαν, cf. c. 5 ὅτι καθ' αὐτὸν ἀόρατός ἐστιν.

Apollinis in Cratylo quattuor proponuntur etyma (p. 405[c]—406[a]): ἀπολύων aut ἀπολούων, ἁπλῶν (a voce ἁπλοῦς), ἀεὶ βάλλων, ἀπολῶν pro ὁμοπολῶν (sc. τῇ ἁρμονίᾳ). Conferendus hic Macrobius sat. I 17, 7—9 'Plato Solem Ἀπόλλωνα scribit cognominatum ἀπὸ τοῦ ἀποπάλλειν τὰς

Digitized by Google

ἀκτῖνας, id est a iactu radiorum: Chrysippus [Apollinem], ὡς οὐχὶ τῶν πολλῶν καὶ φαύλων οὐσιῶν τοῦ πυρὸς ὄντα. primam enim nominis litteram retinere significationem negandi: ἢ ὅτι μόνος ἐστὶ καὶ οὐχὶ πολλοί . . . . Speusippus . . . ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνεστῶτος. . . . Cleanthes ὡς ἀπ' ἄλλων καὶ ἄλλων τόπων τὰς ἀνατολὰς ποιουμένου.' Macrobio Et. m. p. 130, 18 et Cornutus c. 32 consentiunt. Ceterum etiam altero Platonis etymo Macrobius utitur ibid. § 46: 'Ἐλελεὺς appellatur ἀπὸ τοῦ ἑλίττεσθαι περὶ τὴν γῆν . . . . Platon ἀπὸ τοῦ συναλίζειν καὶ συναθροίζειν τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν ἀνατείλῃ'. Vtroque loco ille non tam accuratam Cratyli lectionem prae se fert quam obscuram quandam recordationem. Apollo enim quod a Platone dicitur vocatus quasi ἀεὶ βάλλων (sc. τὰ βέλη), secundum Macrobium est ἀποπάλλων τὰς ἀκτῖνας, et quo Plato p. 409ᵃ Ἥλιος nomen explicat etymon ad Ἐλελεύς nomen transfertur. Macrobiine sit error an eorum alicuius per quorum rivulos Apollodori eruditio ad illum manavit, in dubio relinquendum est.

Crat. 409ᵇ Lunae nomen explicatur: ὅτι δὲ σέλας νέον τε καὶ ἕνον ἔχει ἀεὶ σελαενονεοάεια μὲν δικαιότατ' ἂν τῶν ὀνομάτων καλοῖτο, συγκεκροτημένον δὲ σελαναία κέκληται: cf. Lydus de mens. III 1 p. 27, 8 μῆνες προσαγορεύονται ἀπὸ τῆς μήνης, τουτέστι τῆς σελήνης· σελήνη δὲ παρὰ τὸ σέλας νέον ἔχειν.

Facili opera haec specimina augeri potuerunt, sed vel eis quae attuli puto probari, non ut Cicero dicit (de n. d. III 24, 63) Zenonem primum molitum esse illam nominum originationem, sed a Cynicis traditam Stoicos accepisse. Eadem autem opera etiam viae rationisque qua etyma expedirentur, Antisthenes Stoicis auctor fuit. Heracliti enim de rerum natura sententias, si qua est fides Cratylo Platonico habenda, iam Antisthenes secutus [1]) in notationibus nominum expres-

---

[1]) Num is Antisthenes quem Diogenes IX 15 Heracliti librum interpretatum esse narrat Cynicus fuerit idcirco dubium est, quod Diog.

Digitized by Google

serat. Id quod non mirabimur. Incultum hunc locum Socrates reliquerat: disciputi igitur alii aliunde ad conplendum philosophiae orbem physica arripuere, Megarici ab Eleatis, Plato a Pythagoreis potissimum sic ut Timaeum Philolao debere ferretur, ab Heraclito Antisthenes. Num Homerum quoque Antisthenes ita interpretatus sit ut Heracliti philosophiam inde fulciret, discerni nequit. Videntur hoc prodere nonnulli Platonis loci Theaet. p. 152[e] et p. 179[e] et Crat. p. 402[c]. Sed interpretationis Antistheneae quae in scholiis Homericis servata sunt specimina in quaestionibus moralibus omnia versantur.

Optime ex Heracliti philosophia explicantur quae de cognitione et de nominum veritate statuit Antisthenes. Si natura universa eodem spiritu divino perfusa fovetur, consentaneum est et res et animos hominum eiusque facultates cognoscendi et loquendi ex eodem fonte nata similitudine quadam intima inter se iuncta esse. Heraclitus quoque libenter verbis ludere solebat, accuratam autem eum de lingua doctrinam protulisse non est verisimile (cf. Zeller I[3] 588). Quodsi de criterio Antisthenes philosophatus esset, criterium ei nominum cognitio fuisset. Simili sensu possunt vetustiores quidam Stoici criterium posuisse in ὀρθῷ λόγῳ, quos commemorat Posidonius apud Diog. VII 54 cf. 128. In his Zenonem fuisse verisimile est qui multo propius abest a Cynicis quam Chrysippus, qui hoc criterium sustulit.

Inter Antisthenis libros non sunt quos Platonis dialogo inrideri magis sit probabile quam περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων libri quinque (Diog. L. VI 17). Horum summam si recte statuimus Cratylo recenseri, optime percipimus, cur dixerit ἀρχὴν παιδεύσεως τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν (Arrian. dissert. Epictet. I 17). Classenus (de gramm. Graec. prim. p. 24) cum quibusdam Gorgiani sermonis similitudinibus quae in

VI 19 Heracliteus Antisthenes commemoratur a Cynico diversus (cf. Krische theologumenon Gr. p. 238 sq.).

Digitized by Google

dictis Antisthenis occurrunt nisus coniceret rhetorica argumenta sola eum tractasse, horum librorum rationem non habuit. Sed ut fuerit voluminum περὶ ὀνομάτων χρήσεως argumentum rhetoricum, id vero nemo erit qui hariolietur Antisthenem in dialectica arte ultra Gorgiam praeceptorem non esse progressum.

Digitized by Google

Digitized by Google

BONNAE TYPIS EXPRESSIT CAROLVS GEORGI VNIV. TYP.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google